HUBERTI LANGUETI EPISTOLAE AD JOACHIMUM CAMERARIUM...

Hubert Languet, Ludwig Camerarius

Digitized by Google

6
41-e
46

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
33 A
54

Digitized by Google

6-42-a-p

Digitized by Google



6 — 41-e-46

Digitized by Google

HVBERTI LANGVETI
EPISTOLÆ
ad
JOACHIMVM CAMERARIVM
Patrem & Filium
editæ quondam
a
LVDOVICO CAMERARIO
Nepote,
nunc recuſæ
& quibusdam epiſtolis
ad
AVGVSTVM SAX.
ELECTOREM
auctæ.

LIPSIÆ ET FRANCOFVRTI.
Impenſis Mauritii Georgii Weidmanni.
M DC LXXXV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

fero, amicitiæ quæ mihi tecum intercedit teſtes, vel ſi mauis fideiuſſores. Earum ſane edendarum & auctor extitiſti nobis & adiutor, oſtenſo theſauro inſigni ad Auguſtum Saxoniæ Electorem glorioſiſſimum datarum huius præſtantisſimi ſcriptoris epiſtolarum plurimarum; e quibus nunc paucas decerpſi, ceteris deliteſcentibus apud eruditos viros in Saxonicis his terris, vbi ſummus vir diu vixit, & multos amicos reliquit nominis ſui & prudentiæ cultores.

Magna autem in iſto vis ingenii fuit, iudicium acerrimum, ſtudium veritatis maximum, candor eximius, & prudentia vere ciuilis. Quocunque enim verteret animum, aut ad quamcunque aulam a Principe ſuo mitteretur, omnia feliciter inueſtigauit, non rumoribus fidem adhibens, ſed contracta cum præſtantisſimis

ſimis hominibus amicitia, quam eruditio & candor facile ipſi conciliabant, in ipſa negotiorum maximorum, quorum ab iſtis notitiam acceperat, arcana penetrans.

Quæ de ipſo vere prædicari, & familiares ad Camerarios, & maiori cum cura ad Principem ſcriptæ epiſtolæ oſtendunt: vnde limatum & exactum de maximi momenti negotiis iudicium eius cognoſcitur; vt eloquentiæ prudentiæque ciuilis ſtudioſi in iis habeant quod imitentur, & hiſtoriarum cupidi quod ipſos capiat. Etſi enim remotiores a memoria noſtra ſunt geſtarum rerum quas tradit narrationes, iucunda tamen etiam præteritorum & ætatem noſtram ſupergreſſorum eſt recordatio; & feliciſſimi videmur nobis, ſi iſtorum impeditiſſimorum & plurimis cladibus inſignium temporum oculis no-

Digitized by Google

ſtris bene expreſſa & artificioſe delineata obiiciatur imago. Quæ cum in hiſce epiſtolis occurrat, dudum autem disparuerit, nec in tabernis amplius reperiatur a doctiſſimo varieque in republica verſato viro Ludouico Camerario, anno huius ſeculi ſexto & quadrageſimo apud Friſios accurata epiſtolarum ad patrem & auum ſcriptarum editio; eam typis noſtris iterandam commiſi, & auctoritate tua adductus nonnullas ex magno opere ad Saxoniæ Electorem Auguſtum (cujus conſiliarii & in exteris aulis oratoris munere functus eſt Languetus) miſſarum epiſtolarum, quas deſcriptas omnes in ſcriniis ampliſſimi cuiusdam Viri latere noſti, decerpſi & ſubjeci. In quo negotio quanquam nihil magnopere meum & tu agnoſcis & ipſe ſentio; tamen vt cum magnis principibus comites

ejus

ejus in conclauia admittuntur, ad quæipſi ſoli non pertingerent: ita ſi præſtantisſimo huic ſcriptori adhærerem, rectius exiſtimationi meæ conſuli poſſe arbitratus ſum, quam ſi e proprio ingenio & domeſtica ſupellectile aliquid depromerem, ad dignitatem harum epiſtolarum vix acceſſurum. Amicitiæ etiam, quam inter nos a prima conſalutatione coalitam ſancte cuſtodimus, monumentum præſtare, & cultus quo Te proſequor teſtimonium apud alios reddere poſſe hunc libellum exiſtimaui. Nam cum eximiæ tuæ doctrinæ, quæ in ciuilibus ac eloquentiæ ſtudiis potisſimum exercetur, inſigne aliquod munus deberi intelligerem; pignore hoc, quod a diſertisſimo & asſidue in republica prudenter verſato viro ſumſeram, teſtari volui quantum Te colerem, & quantum

 quam-

quamque libenter deberem. Vale, Vir æſtimatisſime, & academiam Salanam, cui nunc præes, eloquentiæ ac prudentiæ ciuilis hiſtoriarumque & omnis elegantioris litteraturæ ſtudiis, quod feciſti hactenus, porro quam diutisſime exorna. Lipſiæ, Idibus Aprilis anni MDCLXXXV.

PRÆFA-

Digitized by Google

* * * * *
* * * *

PRÆFATIO
priori editioni præmiſſa.

ILLVSTRI AC GENEROSO
DOMINO,
DNO ACHATIO
Burggrauio & Baroni a DONA,
Conſiliario Electorali Brandenburgico intimo,

Domino ſuo plurimum obſeruando
S. D.
LVDOVICUS Joach. F. Joach. N.
CAMERARIVS.

MUltum intereſt, in quæ tempora cujusque virtus inciderit, ex veterum veriſſima atque ab ipſa experientia comprobata ſententia. Mea quidem non dicam virtus, cum a vanæ gloriæ ambitu ſemper alienus fuerim, ſed vita & functio in omnium periculoſiſſima ſane incidit, quæ recte cum Apo-

ſtolo appellare poſſumus ἐσχάτας ἡμέρας. Admodum iuuenis veluti in vaſtum oceanum negotiorum publicorum coniectus fui. Vix ex Italia redieram, cum abſumto Spiræ Nemetum in iuris practici ſtudio non longo temporis ſpatio, Noribergam ad patrem meum Joachimum Camerarium Medicum τὸν μακαρίτην excurri, vt ab eo impetrarem in Galliam proficiſcendi licentiam, cujus regni perluſtrandi magno tum tenebar deſiderio. Sed forte accidit, vt ille a Sereniſſimo Electore Palatino Friderico IV beatæ memoriæ, valetudinis ſuæ cauſſa Neagoram in ſuperiori Palatinatu euocatus me ſecum adduceret. Statim optimus Princeps, poſtquam me allocutus eſt, clementiſſimo affectu expetiit, vt conditionem in ipſius aula in conſiliariorum Heidelbergenſium numero acciperem. Igitur ab illuſtri Domino Comite Joachimo Ortenburgico, & nobiliſſimo Domino Georgio Ludouico Hutteno, magnis viris, illo Præfecto Ambergenſi, hoc aulæ

Electo-

Electoralis Magiſtro, & cum patre meo & mecum quoque de voluntate & juſſu Celſit. ipſius ea de re ſerio actum fuit. Cumque pater meus Celſitudini ipſius gratificari cuperet, nec ejus ſententiæ ac votis reluctari fas mihi eſſet, ita factum eſt, vt omiſſo de Gallico itinere conſilio, paulo poſt in ſummo Palatinatus dicaſterio Adſeſſoris munus mihi delatum fuerit. Verum illico legationibus obeundis & negotiis Reipublicæ deſtinatus, ſæpius iis, quam forenſibus curis impli atus ſum. Itaque anno MDC cum Spiræ Ordinum Imperii deputatorum, vti vocantur, conuentus inſtitutus eſſet, in quo etiam Reuiſorium de quibusdam a Camera Imperiali latis ſententiis judicium exerceri debuit, inter nonnullos alios conſiliarios Palatinos ego quoque fui adhibitus. De ejus judicii ordine & modo cum diſceptaretur, ſtatim in ipſo limine magna & vehemens incidit inter Romano Catholicos & Proteſtantes σύῤῥαξις. Nam inter cauſſas reuidendas erant quattuor

 ſen-

ſententiæ pro monachis quibusdam, etiam exteris, & ab ordinariorum in Imperio iurisdictione exemtis, a Camera Spirenſi in damnum Proteſtantium pronunciatæ: quibus his mandabatur, vt monaſteria, quæ longo jam tempore conuerſis in pias cauſſas eorum reditibus poſſederant, cum fructibus perceptis & percipiendis monachis iſtis reſtituerent. Ea res cum in conſtitutionis pragmaticæ de pace religionis inter Ordines & Status Imperii ſancitæ interpretationem incurreret, & infinita præjudicia ſecum traheret, petierunt Proteſtantium legati, vt quattuor illis cauſſis ſepoſitis, & ad totius Imperii comitia, in quibus ſolis & leges ferri & harum diſcusſiones fieri poſſent, rejectis, in cæteris omnibus ad promouendam juſtitiam publicam deputati progrederentur. Sed maluerunt Romano-Catholici cunctas reliquas reuiſionum cauſſas, quæ ſatis multæ fuerunt, cum totius in Imperio juſtitiæ juſtitio in hodiernum usq; diem prorſus indeciſas relinquere,

quam

quam quattuor tantum adeo Proteſtantibus exitioſas, donec æquabili & amicabili compoſitione lis illa dirimeretur, tantisper ſufflaminare. Ex quo manifeſtum fuit, non illas quattuor tantum, ſed in vniuerſum alias ſimiles atque adeo infinitas ipſos tunc attendiſſe, atque ita totam cunctorum Proteſtantium ſalutem in ſummum diſcrimen conjectam fuiſſe. Quod res ipſa etiam poſt, anno MDCXXIX in mediis armorum flammis ſatis ſuperque oſtendit; vbi eo fine edictum Cæſareum de reſtituendis bonis eccleſiaſticis contra Proteſtantes publicatum, atque ex eo nouum in Imperio bellum excitatum fuit. Sed redeo ad me & meum inſtitutum. Poſt primum igitur illum conflictum Spirenſem, inſecuta ſunt comitia Imperii Ratisbonenſia annorum MDCIII, MDCIIX & MDCXIII. In his cum meæ quoque partes fuerint, & in poſterioribus quidem duobus in Proteſtantium peculiaribus congregationibus in dirigendis actionibus non poſtremæ, ſemper

 per

per illæ aliæque acerbæ diſceptationes cum Pontificiis recurrerunt; vnice hoc illis vbique agentibus, vt numero ſuffragiorum, quæ plura ſemper penes ipſos ſunt, Proteſtantes ſuperatos pro ſuo libitu deprimerent, atque ita re ipſa tandem de ſtatu ſuo dejicerent. Itaque bina etiam illa, quæ dixi, comitia infelicem habuerunt exitum. Prætereo nunc conuentus alios quamplurimos Electorum Imperii, ſiue inter ſe, ſiue in electione Romanorum Regum celebratos, vt etiam circulorum & vnitorum Proteſtantium, quibus omnibus per ſpatium viginti & plurium annorum interfui. Prætereo denique legationes ad Imperatores & Reges exteros, tum ad Electores, Principes, & Ciuitates Imperii, pene infinitas. Vix enim omnes actiones publicas, quæ maximis cum curis, vigiliis, laboribus ac periculis mihi ex officio & fide muneris mei incubuerunt, enumerare poſſem: ſic vt vere dicere mihi liceat, vitam meam perpetuam peregrinationem fuiſſe, quæ tandem in

exi-

Digitized by Google

exilium deſiit, in quo etiam nunc per annos XXV vitam tranſigo. Non autem velim hæc a quoquam ita accipi, ac ſi oſtentandi animo de me ipſo magnifice aut loquar aut ſentiam, cum meam tenuitatē lubens agnoſcam; ſed hoc potisſimū commemoratione iſta demonſtrare volo, cum in illis ſiue conuentib9, ſiue legationibus, pro libertate Imperii, & pro conſeruatione ac ſalute Proteſtantium, quoad religionem & ſtatum ipſorum, ſæpius ex juſſu & præſcripto Dominorum meorum, multa mihi dicenda faciendaque fuerint, quæ aduerſæ parti displicuerunt, fieri aliter non potuiſſe, quam vt in multorum inuidiam & odia incurrerim.

Secuti ſunt tandem motus Bohemici, quibus cauſſam dederunt monachales intemperiæ, quæ reſciſſo Rudolphi II Imperatoris diplomate Majeſtatis Ordinibus regni euangelicis conceſſo, ſæuum bellum conflarunt: de quo cum extent & Bohemorum apologetica & aliorum ſcripta hiſtorica, nunc multa recen-

recenſenda non ſunt, maxime ad Te, *illuſtris ac generoſe Domine*, cui tota cauſſa cum omnibus ſuis principiis, momentis, circumſtantiis atque euentibus omnium pleniſſime eſt perſpecta & cognita. Prudenter autem diſtinguit Polybius inter αἴτιον & ἀφορμὴν bellorum. Αἴτιον belli Bohemici ſacerdotum zelus fuit; ἀφορμὴ Germanici belli arrepta fuit ex Bello Bohemico. Sed in bellis fere omnibus veræ horum cauſſæ occultantur, & obtenduntur prætextus ab iis plerumque longe remoti, vt factum eſt in bello Smalcaldico, & hactenus factum eſt in bello Germanico vsque in hodiernum diem. Nam qui illud inſtruxerunt & geſſerunt, publice dulce juſtitiæ & pacis nomen ſemper in ore habuerunt; an etiam vnquam in corde habuerint, nouit Deus καρδιογνώστης. Quantum autem ad Bohemicum bellum attinet, cum jam illud commotum eſſet, hoc ſane aperte dico, & conſcientia teſte vere dico, Sereniſſimum Electorem Palatinum Fridericum

V ſta-

V ſtatim ab exordio illius incendii nihil magis compluribus legationibus & ſcriptis continuo litteris ſerio egiſſe, quam vt mature illud extingueretur, antequam latius ſerperet. Sed cum nihil proficerent, neque illius, neque aliorum ſalutares interceſsiones & fideles ad moderationem ſubjectiones, impedire profecto non potuit, quominus proceres Bohemiæ in extremo ſuo discrimine extrema quoque conſilia veluti ex deſperatione quadam arripuerint. Veriſſimum autem eſt, cuncta bella, quibus hoc infauſto ſeculo noſtro Chriſtianus orbis concuſſus eſt, a perſecutionibus religionis cauſſa ſuſceptis originem ſuam traxiſſe. Vnde Fridericus, non vt regna ambiret, ſed eo fine, vt Bohemicum populũ fere opprelsũ e ſeruitute, ſi poſſet, eriperet, regnicolarum vota & ſuſpiria non omnino rejicere voluit. Non ſane vnquam ſe ingeſſit, ſed vocatus eſt multis procerum obſecrationibus. Non vi, ſed pacifice in regnum ingreſſus eſt. Non ipſe arma in Bohemiam intulit, ſed

ea

Digitized by Google

ea jam vltra annum inuenit circumlata ab vtraque parte belligerantium. Nam quod innocenti Principi calumniatores in ſcriptis famoſis impingunt, ac ſi prenſationibus & malis artibus regnum Bohemiæ diu ambiuerit, & conſiliariis ejus imputant, quod ſuis perſuaſionibus ad coronam illam acquirendam eum impulerint, id mecum omnium optime ex certa ſcientia, *illuſtris Domine*, noſti eſſe falſisſimum. Nam & ipſum ſcimus facta jam electione inprimis fuiſſe anxium & ancipitem, inter preces ad Deum aſſiduas; & cum primum illa Ambergæ in ſuperiori Palatinatu ei per miſſum a Bohemiæ proceribus nuncium ſignificata fuit, ne vnum quidem ex conſiliariis ſecretioribus penes ipſum fuiſſe, pleriſque, atque adeo me quoque, in conuentu Francofurtenſi occupatis, cum Ferdinandus II in Regem Romanorum electus fuit. Duo tantum ex vnitis Principibus Ambergæ tum ipſi adfuerunt, quorum conſilio vſus electionem tandem admiſit: quos nunc nomina-

minare nolo, quia jamdudum defuncti ſunt, vt alias hujus mei conſilii cauſſas nunc prætercam. Per conſiliariorum autem litteras, Francofurto tum ſcriptas, Fridericus ne temere quid præcipitaret, ſed vt rem tanti momenti cum cognatis Regibus & Principibus conferret, monitus fuit, quod & ipſe ſedulo fecit. Ex iis plerique electionem oblatam minime repudiandam cenſuerunt. Ipſe Rex Britanniæ Jacobus quo reſpexerit, & quantum in toto negotio præſertim ad Hiſpanicos miniſtros ſimularit & diſſimularit, quæ nonnunquam de bello, nonnunquam de pace & matrimoniis agitauerit, Tibi, ſi cuiquam alii, eſt exploratiſſimum. Sic tandem Fridericus continuis Bohemorum precibus & ſæpius iteratis conteſtationibus permotus, & quibusdam Principibus eum inſtigantibus, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ in Bohemiam venit, non propria ſane ambitione, ſed miſeratione oppreſſorum inductus, perſuaſus denique in electiuo regno liberam & legitimam electionem

regni-

regnicolas habuiſſe. Satis enim intellexit, non ad nuptias ſe proficiſci aut delicias, ſed ad curas, labores & maxima pericula. Sed nolo hac in re eſſe prolixior. Nam quæ poſtea acciderunt, & quantum ex infauſto caſu prælii Pragenſis animi etiam illorum immutati ſint, qui antea a ſtudio pacis, a quo alienus non erat, illum dehortati fuerunt, commemorare non libet, tum quia triſtia, tum quia tibi ſunt notiſſima. Sunt autem adhuc in vtriusque noſtrum manibus monumenta, quibus, quæ dixi, liquido probare poſſemus. Sic autem in vita humana comparatum, & omnibus ſeculis in rebus arduis comprobatum eſt, vt ab euentu de cauſſa judicetur, non ex conſiliis, quamvis ea ad bonum finem, bono animo ſuſcepta & prudenter inſtituta fuerint: imo qui ea antea probarunt & promouerunt, ſi ſucceſſus non reſpondeat, ſtatim reſiliunt, & neglecto etiam amicitiæ & fœderum jure iis accedunt, quos fortuna reſpexit, quamuis indignos. Ii autem omnium maxime exo-

Digitized by Google

execrandi ſunt, qui inique oppreſſos conculcant, adeoq; naufragos ſpoliant; quod ſane faciunt, qui aliis occaſione cauſſæ Bohemicæ ſub juſtitiæ prætextu in Germania per vim erepta, mala cum conſcientia retinere, & inſuper injuſtitiam ſuam ex miſerorum ruina & infortunio defendere conantur. Hoc ſane ſi vlli vnquam Regum aut Principum contigit, profecto in ſe Fridericus expertus eſt, ab iis præcipue, de quibus optime fuit meritus. Ego quidem pro jurejurando, quo Domino meo deuinctus eram, deſerere illum honeſte non potui; ſed in aduerſis quoque ipſi fidem probare ſtudui: atque ita bonis meis omnibus exutus ipſum exulem, ego, quoque exul, in Belgium ſecutus ſum. Sed Deo ſit laus atque gratiarum actio, quod in hoc tam diuturno exilio meo nihil mihi vnquam defuit vel ad honorem vel ad vitam commode tranſigendam in hunc vsque diem; atque ita longe meliori conditione vixi in exilio, quam infiniti alii, qui in patria ſua manſerunt exacto-

rum

Digitized by Google

rum immanitati & militum inſolentiæ expoſiti.

Interceſſerunt interea de pace & reconciliatione Friderici apud Cæſarem cum Galliæ tum Daniæ Regum legati; Vnitorum quoque & aliorum Principum ſupplicationes & preces acceſſerunt; inprimis publice Regis Jacobi pacis & reſtaurationis Domus Palatinæ multiplex conatus: qui adeo generum ſuum, vt ſupplex Cæſari ſe ſiſteret, ſolenni inſtrumento ipſius propria manu ſubſcripto & ad illum miſſo obligaverat, perſuaſus tanta ſubmiſſione & obedientiæ ſtipulatione leniorem ſe redditurum hujus animum, & ſecutura alias atrociora bella amoliturum eſſe. Verum nullum locum inuenerunt illæ ſubmiſſiones & moderata conſilia, aut Regum Principumque prudentisſima monita: ſed initis jam ad aliorum ambitionem & emolumenta priuata pactis conuentis, blandiente etiam victoribus aliquamdiu fortuna, oleum ſimul igni injecerunt ſanguinarii presbytero-mo

nach

nachi, non Jeſu Chriſti, ſed Martis & Vulcani ſocii, qui ſub larua religionis, facta de extirpandis in Imperio Proteſtantibus certa ſpe, inflammarunt Cæſarem & Romanæ formulæ addictos Principes, vt repudiatis neceſſariis tempeſtiuæ pacis mediis, ſæuiſſimi belli ciuilis dubium ſemper & periculoſum exitum prætulerint. Hi igitur monachi, non minus quã olim in populo Judaico Phariſæi & Zelotæ, noſtro tempore inter Chriſtianos, Reip. vniuerſæ perniciem & prope interitum accerſiuerunt, quem nunc proh dolor ante oculos noſtros cernimus. Hi profecto ſunt noſtri hujus nouisſimi ſeculi Sophiſtæ, quos non Plato, ſed doctor gentium graphice deſcribit beatus Apoſtolus, quod ſint homines ſui amantes, auari, glorioſi, ſuperbi, maledici, *ἄϛοργοι*, *ἄσπονδοι*, *διάβολοι*, *προδόται*, habentes ſpeciem pietatis, ſed qua vim & virtutem hujus tollant, qui non tantum irrepunt in familias, & in laqueis ſuperſtitionum captiuas ducunt mulierculas, ſed etiam

regum

regum ac principum conſcientias. Hi ſunt, qui ſicas tragicas oſtentant, qui puluerarias artes norunt, ac regum parricidia docent & perpetrant. Hi ſunt, qui phariſaico plagio diuitum filios parentibus eripiunt, qui pinguium hæreditatum aucupia exercent. Hi ſunt, qui reſciſſis regiis inſtrumentis & juramentis Bohemicum bellum conflarunt, & arrepta ex illo occaſione, bella bellis, incendia incendiis, & ſanguinis pro[illegible]uia in hunc diem miſcuerunt & cumularunt in miſerrima patria noſtra Germania; & interim in cœnobiis ſuis tripudiantes ἅλωσιν Ilii repræſentarunt, vt olim fecit Nero in vrbis Romæ incendio. Sed mirum hoc non eſt, cum quotidie ſuos diſcipulos exerceant in agendis comœdiis & tragœdiis, ipſi interim hiſtrioniam facientes in vniuerſo mundo. Hi ſunt, qui in poſtremis Imperii comitiis, ſpreta calamitate totius Chriſtiani populi, omnem cum Proteſtantibus pacem & amniſtiam publicis ſcriptis diſſuaſerunt, & ſanguine

rubri-

rubricatis libellis Marti litarunt. Hi ſunt, qui jamdudum ducto veluti circino delineata & decretoria facta fuiſſe bella in Proteſtantes palam jactarunt; qui demonſtratione quadam geometrica euincere & perſuadere ſuis Catholicis conati ſunt certas & ineffabiles ex his bellis ciuilibus contra Hæreticos (quo nomine cunctos Proteſtantes intelligunt) ex longo propoſito geſtis vtilitates, ad quas tot millium etiam Pontificiorũ interitus minime æſtimandus, & tot regionum quoque Auſtriacarum & Epiſcopalium deuaſtationes ne comparandæ quidem ſint. Sunt talia eorum truculenta ſcripta in omnium pene manibus. Et mirum eſſet, ſi vnanimi conſenſu cuncti Romano-Catholici ad peſtem adeo exitialem ex Romano Imperio, ſapientisſimæ Venetæ; reipublicæ exemplo, eiiciendam conſpirarent? Nam quamdiu erunt & tolerabuntur in viſceribus miſerrimæ noſtræ patriæ funeſtæ iſtæ Harpyiæ, nulla vnquam ſecura & diuturna pax, nulla inter Roma-

no-Catholicos &Proteſtantes ſperanda eſt ſincura & duratura concordia. Et quidem in hanc ſententiam mecum concurrere non hos tantum omnes, ſed ex illis quoque non paucos exiſtimo; quod re ipsa iam experti ſunt, principia illa geometrica adeo ſanguinolenta, nimis periculosa & luctuoſa ſibi in primis fuiſſe. Sed quo me abripuit ex publica calamitate conceptus dolor, adeoque iuſta indignatio? Verum mihi veniam daturos eſſe ſpero omnes bonos qui mecum præſentem ruentis reipublicæ afflictisſimam faciem ex veris rerum causſis & prima ejus origine, vt par eſt, agnoſcunt & deplorant.

Nunc reuertor ad me & propoſitum. Tot annis, vt dixi, Domui Palatinæ addictum, tandem anno MDCXXVI maximus & glorioſſimus ille Rex Suecorum, Guſtauus, immortalis memoriæ, cum bona Principis, Domini mei, voluntate, ad ſecretiora conſilia ſibi clementisſime adſciuit, meaque in negotiis apud celſos & præpotentes Dominos Ordines Gene-

Generales Fœderati Belgii gerendis vſus opera, etiam legati ad illos ordinarii nomine ac titulo me dignatus, & ſingulari regia gratia ac beneficentia liberaliſſime proſecutus eſt, donec tam illuſtre & omni ſplendore ac gloria coruſcans lumen iratus Deus ingrato orbi funeſta morte eripuit; cuius adeo lamentabilis caſus nunquam ſine luctu & lacrymis meminiſſe poſſum. Poſſem autem in laudem ſummi Regis multa proferre, quæ ex veritate mihi comperta ſunt. Sed cum epiſtolam nunc ſcribam, non panegyricum, & hiſtorici illo officio rectius ad poſteritatem defuncturi ſint, denique rerum magnitudo a glorioſiſſimo illo Heroe geſtarum vires ingenii mei longe ſuperet, ſatius eſſe duco, de tanto Rege potius nunc ſilere, quam pauca dicere, vt olim de Carthagine dixit Salluſtius. De me vero ipſo, & num probe ac fideliter legati munere per años fere XVII defunctus ſim, vt multa commemorem, modeſtia mea non patitur, & agnitio imbecillitatis

meæ aurem mihi vellicat. Satis eſt, optimo maximoque Regi, dum vixit, & poſt eius obitum ſereniſſimæ eius Filiæ, potentiſſimæ Reginæ, quæ nunc rerum potitur, tum illuſtriſſimis Regni Senatoribus, probatam fuiſſe diligentiam, fidem & aſſiduitatem meam; & præclara de his mihi ab iis data teſtimonia ſufficiunt. Sereniſſima illa eſt Regina, Domina mea clementiſſima, quæ paternis virtutum & magnanimitatis veſtigiis, cum ſummo ſuo ſplendore & omnium bonorum applauſu, ſingulari conſtantia inſiſtens, Dei etiam altiſſimi benedictionem in ſumma hactenus felicitate rerum ſupra ætatem prudenter & fortiter geſtarum continuo ſenſit; quæ vt ipſius Regiæ Maieſtati ſit perpetua, & vt mox nō minus quam ex partis bello victoriis & triumphis, tandē ex reddita orbi Chriſtiano per cōmunem & ſecurā pacem quiete & tranquillitate æternam ſibi gloriam acquirat, toto deuotiſſimi animi pectore exopto. Me quidem ipſius Regia Maieſtas maximo af-

fecit

ſecit beneficio, (quod gratisſimo animo agnoſcam & prædicabo quamdiu vixero) quod ſenectutis meæ & exantlatorum laborum ratione benigne habita, ab onere legationis me id vnice & ſubmiſſe expetentem clementisſime exemit, & Conſiliarii ſecretioris titulo vltro honoratum annuo ſtipendio ad vitæ meæ dies liberaliter proſequitur; vt nunc poſſim in honeſto otio quod reliquum eſt vitæ tranquille tranſigere;

Sicut fortis equus, ſpatio qui forte ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Nam ingenue fateor, nunc in prouecta, ſed leni ac placida ætate, quam ad annum vsque LXXIV miſericordis Dei gratia produxi, mihi videor primum coepiſſe viuere, cum procul a negotiis ac turbis, vnice rebus diuinis & de morte meditationibus & libris meis, vt amicis qui mihi non adulantur, libere mihi vacare & frui licet; & interdum in vi-

cino rure inter flores & arbores recreare ſenilem animum. Totum enim reliquum anteactæ vitæ meæ. tempus in perpetuis curis, moleſtiis, laboribus, angoribus, peregrinationibus ac crebris periculis conſumſi.

Acceſſerunt ad alias aduerſitates etiam viperarum ex ſtygia palude virulenti ſibili & afflatus, hoc eſt, famoſi calumniatorum ſparſi in me libelli, multis mendaciis,conuitiis & ſcurrilibus maledictis repleti. Sed cum exiſtimationem illi meam lædere non potuerint,bona conſcientia contra ipſorum criminationes mihi præbente teſtimonium, & liuor atque odium ſemper ſequantur virtutem,vt corpus umbra,idcirco forti animo illorum cerbereorum canum latratus ſpreui,cum etiam Deus vlturus ſit bellorum auctores & flabella;qui vt ſuas exitioſas machinationes & cruenta conſilia calumniarum nebulis inuoluant,& ſua probra operiant, innoxiis per ſummum ſcelus ea affingere ſolent, quæ nunquam iis in mentem

ve-

Digitized by Google

venerunt, nedum ut fecerint. Et hæc quidem commemoro, non vt de me ipſo gloriari velim, quod a me procul eſſe cupio; verum vt ſaltem poſteritati conſtet de innocentia & integritate mea, atque a poſteris meis deuoluatur macula, quam atri & obſcuri quidam ex foedo monachali fornice nebulones, mihi conati ſunt aſpergere. Nam quod illi in me carpunt, id boni laudant, nempe ſeruatam conſtanter fidem in vtraque fortuna, & officium in functionibus meis ſedulo præſtitum, pro dignitate & iuribus Principum quibus deuinctus fui, in peragendis demandatis mihi negotiis. Hoc enim vnice in meo munere ſpectaui, atque in cunctis actionibus publicis, quarum pars magna fui, (quod citra iactantiam dictum ſit) fideliter ac ſtudioſe conatus ſum, vt Imperio Germanico & eius Ordinibus conſeruaretur maiorum virtute parta libertas, & pulcherrima illa harmonia, quæ in legum fundamentalium obſeruatione & vigore conſiſtit, qua paulatim fatiſcen-

Digitized by Google

te & labaſcente, veluti ædificio cuius compages diſſoluuntur & columnæ euertuntur, magnæ illius molis tandem ruina pene ſubſecuta eſt, quam nunc conſpicimus & cum dolore lugemus. Nam vera eſſe, quæ diſſero, nunc adeo ipſi de pace inſtituti Monaſterii & Osnabrugæ tractatus oſtendunt, in quibus tantopere laboratur, vt conuulſa & corrupta in vniuerſo ſtatu politico, cum per reſtaurationem legum fundamentalium & conſtitutionum Imperii, tum inprimis per æqualis iuſtitiæ ſinceram adminiſtrationem, in integrum reſtituantur: quo opus non eſſet, ſi integra manſiſſent. Sane vt in tuto collocaretur Proteſtantium Principum ac Ciuitatum religio ac incolumitas, contra aduerſæ partis continuas turbationes, mihi præcipuæ ſemper curæ fuiſſe, vt ingenue fateor, ſic teſtari poſſunt ex illorum ordine omnes, qui rebus geſtis interfuerunt, quamuis pauci horum ſint ſuperſtites. Hinc in multorum odia & inſectationes incurri, & tandem damna

rei

Digitized by Google

rei priuatæ magna perpeſſus, ipſum etiam exilium, ſed æquisſimo ſemper animo,pertuli, Sed cum ſimilem fortunam nonnulli etiam Principes experti ſint, quorum iugulum per Friderici lat9 petitum fuiſſe demonſtrarunt ſubſecuti euent9, multo minus mirum eſt, illius quoque miniſtros multis periculis & criminationibus per iniquitatem temporum objectos fuiſſe. Graſſantium vero latronum in meam famam acerbitatem non tam ægre tuli, quam adhuc lætor me diſplicuiſſe illis, qui ex ζήλῳ ἀζήλῳ religionis, tam immane excitarunt in carisſima patria noſtra incendium, quod in hunc diem nondum extingui potuit. Verum de hac re nunc plura verba non faciam, cum iam ante plures quam XX annos edita pro me publice Apologia ſycophantarum mendacia & falſi crimina ſolide reiecerim; quam etiam inſecuti bubonum ex clauſtris diri vlulatus euertere non potuerunt: magnis & cordatis viris, etiam Regibus & Principibus mihi fauentibus,

bus, & illorum nefandos & infauſtos conatus exſecrantibus. Demonſtrarunt etiam alii præſtantes & nobiles viri ſuis accuratiſſimis ſcriptis, contra vaniſſimam garrulitatem & ineptisſimas nugas, quibus malæ causſæ patroni me innocentem & alios bonos viros diffamare non erubuerunt, rerum geſtarum veritatem & conſiliorum pro bono publico ſinceritatem: & luctuoſi euentus hactenus re ipſa comprobarunt, non ex causſa Bohemica, prælio Pragenſi finita, ſed ex priuata quorundam ambitione, & a male ſanis ſanguinemque piorum ſitientibus hominibus, religionis potisſimum causſa ſuſcepto & tamdiu continuato lamentabili & funeſto hoc bello in Imperio, rempublicam in extremum diſcrimen coniectam; & non tantum exteros Reges irritatos attractosque in Germaniam, ſed ipſos adeo Turcas ad arma in Chriſtianos, in tot partes diuulſos & mutuis cladibus fractos, mouenda inductos fuiſſe.

Cæterum vt omisſis his triſtioribus

bus ad præſentem tranquillæ vitæ meæ ſtatum redeam, non profecto in hoc honeſto otio meo prorſus otioſus ſum. Nam inter alias litterarias delicias, collegi multis voluminibus ingentem numerum epiſtolarum a claris doctisque viris, tam Theologis quam Politicis omnium nationum ſuperioris ſeculi, propriis ipſorum manibus exaratarum; inprimis ad vtrumque Joachimum, auum & patrem meum p. m. Camerarios, vt & ad alios eruditos complures, qui illa ætate floruerunt. Quod ſi quis forte puerilem in hac parte ludum ludere me putet, facile feram, & adagii dictum in me quoque lubens agnoſcam, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Poſſem tamen me, ſi res exigeret, tueri aliorum exemplis, qui non minus ἰδιοχειρίᾳ magnorum virorum ſe delectarunt, & in eo ſtudio amicorum ope & liberalitate libenter vſi fuerunt. In iis vnum ſaltem nominabo illuſtrem Joannem Vincentium Pinellum, Genuenſem patricium, virum nobilitate generis, vir-

tute& eruditione celebrem,& omnibus pene ſua ætate claris viris amicum, quem vere T. Pomponium Atticum ſui æui fuiſſe quis dicere poſſet. Is vt bibliothecam inſtructisſimam, cuique fere nulla alia in priuata aliqua, quamuis illuſtri & diuiti,familia, in Europa par fuit, ſic etiam talium monumentorum inſignem theſaurum habuit, ad quem Joſephus Scaliger, & alii docti viri, ſymbolas ſuas contulerant. Cum vero ſingulari necesſitudine parenti meo p. m. coniunctus vixerit, (quod innumeræ ejus ad hunc, quas habeo, epiſtolæ oſtẽdunt)ego vero familiariter ei adoleſcẽs Patauii notꝰ fuerim,honorificam tanti viri memoriam hoc loco me feciſſe non puto præter decorum esſe. Eius vero bibliotheca, tum theſaurus ille litterarius magni pretii, cum in regnum Neapolitanum poſt ipſius mortem ad gentiles eius transferri debuit, in infauſta nauigatione magna ex parte aliisque variis caſibus interiit;vt hæc & alia multa de Pinello cognitione di-

gnis-

gniſſima in ejus vita retulit doctiſſimus Paulus Gualdus, Patricius Vicentinus. Ad me quod attinet, fateor profecto, me in legendis & conſiderandis ſanctorum bonorumque priſci ævi candore & integritate eximiorum virorum epiſtolis, ſummam voluptatem percipere. Nam quod eſt in veteri verſu, Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται, idem omnino ſtatuendum eſt de epiſtolis, in quibus, cum non erubeſcant, ſæpius majori confidentia expromi ſolent animorum motus & affectus, quam in familiaribus colloquiis. Itaque cum tantorum virorum litteras lego, quorum animas nunc in æterna luce & beatitudine eſſe ſtatuo, non tam ipſos coram intueri ac audire mihi videor de pulcherrimis rebus mecum diſſerentes, quam me ad eandem felicitatem euocantes; ut eo indies in me creſcat majus deſiderium εἰς τὸ ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι. Habeo penes me inter ejuſmodi κειμήλια quadringentas, aut forte plures, ſanctiſſimi & de republica tam littera-

ria

Digitized by Google

meæ aurem mihi vellicat. Satis eſt, optimo maximoque Regi, dum vixit, & poſt eius obitum ſereniſſimæ eius Filiæ, potentiſſimæ Reginæ, quæ nunc rerum potitur, tum illuſtriſſimis Regni Senatoribus, probatam fuiſſe diligentiam, fidem & aſſiduitatem meam; & præclara de his mihi ab iis data teſtimonia ſufficiunt. Sereniſſima illa eſt Regina, Domina mea clementiſſima, quæ paternis virtutum & magnanimitatis veſtigiis, cum ſummo ſuo ſplendore & omnium bonorum applauſu, ſingulari conſtantia inſiſtens, Dei etiam altiſſimi benedictionem in ſumma hactenus felicitate rerum ſupra ætatem prudenter & fortiter geſtarum continuo ſenſit; quæ vt ipſius Regiæ Maieſtati ſit perpetua, & vt mox nō minus quam ex partis bello victoriis & triumphis, tandē ex reddita orbi Chriſtiano per cōmunem & ſecurā pacem quiete & tranquillitate æternam ſibi gloriam acquirat, toto deuotiſſimi animi pectore exopto. Me quidem ipſius Regia Maieſtas maximo affecit

ſecit beneficio, (quod gratisſimo animo agnoſcam & prædicabo quamdiu vixero) quod ſenectutis meæ & exantlatorum laborum ratione benigne habita, ab onere legationis me id vnice & ſubmiſſe expetentem clementisſime exemit, & Conſiliarii ſecretioris titulo vltro honoratum annuo ſtipendio ad vitæ meæ dies liberaliter proſequitur; vt nunc poſſim in honeſto otio quod reliquum eſt vitæ tranquille tranſigere;

Sicut fortis equus, ſpatio qui forte ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Nam ingenue fateor, nunc in prouecta, ſed leni ac placida ætate, quam ad annum vsque LXXIV miſericordis Dei gratia produxi, mihi videor primum coepiſſe viuere, cum procul a negotiis ac turbis, vnice rebus diuinis & de morte meditationibus & libris meis, vt amicis qui mihi non adulantur, libere mihi vacare & frui licet; & interdum in vi-

cino rure inter flores & arbores recreare ſenilem animum. Totum enim reliquum anteactæ vitæ meæ tempus in perpetuis curis, moleſtiis, laboribus, angoribus, peregrinationibus ac crebris periculis conſumſi.

Acceſſerunt ad alias aduerſitates etiam viperarum ex ſtygia palude virulenti ſibili & afflatus, hoc eſt, famoſi calumniatorum ſparſi in me libelli, multis mendaciis, conuitiis & ſcurrilibus maledictis repleti. Sed cum exiſtimationem illi meam lædere non potuerint, bona conſcientia contra ipſorum criminationes mihi præbente teſtimonium, & liuor atque odium ſemper ſequantur virtutem, vt corpus umbra, idcirco forti animo illorum cerbereorum canum latratus ſpreui, cum etiam Deus vlturus ſit bellorum auctores & flabella; qui vt ſuas exitioſas machinationes & cruenta conſilia calumniarum nebulis inuoluant, & ſua probra operiant, innoxiis per ſummum ſcelus ea affingere ſolent, quæ nunquam iis in mentem ve-

venerunt, nedum ut fecerint. Et hæc quidem commemoro, non vt de me ipſo gloriari velim, quod a me procul eſſe cupio; verum vt ſaltem poſteritati conſtet de innocentia & integritate mea, atque a poſteris meis deuoluatur macula, quam atri & obſcuri quidam ex foedo monachali fornice nebulones, mihi conati ſunt aſpergere. Nam quod illi in me carpunt, id boni laudant, nempe ſeruatam conſtanter fidem in vtraque fortuna, & officium in functionibus meis ſedulo præſtitum, pro dignitate & iuribus Principum quibus deuinctus ſui, in peragendis demandatis mihi ne-gotiis. Hoc enim vnice in meo munere ſpectaui, atque in cunctis actionibus publicis, quarum pars magna fui, (quod citra iactantiam dictum ſit) fideliter ac ſtudioſe conatus ſum, vt Imperio Germanico & eius Ordinibus conſeruare- maiorum virtute parta libertas, & pulcherrima illa harmonia, quæ in le-gum fundamentalium obſeruatione & amore conſiſtit, qua paulatim fatiſcen-

 te

te & labaſcente, veluti ædificio cuiu compages diſſoluuntur & columnæ euertuntur, magnæ illius molis tandem ruina pene ſubſecuta eſt, quam nunc conſpicimus & cum dolore lugemus. Nam vera eſſe, quæ diſſero, nunc adeo ipſi de pace inſtituti Monaſterii & Osnabrugæ tractatus oſtendunt, in quibus tantopere laboratur, vt conuulſa & corrupta in vniuerſo ſtatu politico, cum per reſtaurationem legum fundamentalium & conſtitutionum Imperii, tum inprimis per æqualis iuſtitiæ ſinceram adminiſtrationem, in integrum reſtituantur: quo opus non eſſet, ſi integra manſiſſent. Sane vt in tuto collocaretur Proteſtantium Principum ac Ciuitatum religio ac incolumitas, contra aduerſæ partis continuas turbationes, mihi præcipuæ ſemper curæ fuiſſe, vt ingenue fateor, ſic teſtari poſſunt ex illorum ordine omnes, qui rebus geſtis interfuerunt, quamuis pauci horum ſint ſuperſtites. Hinc in multorum odia & inſectationes incurri, & tandem damna

rei

Digitized by Google

i priuatæ magna perpeſſus, ipſum
iam exilium, ſed æquisſimo ſemper
nimo, pertuli, Sed cum ſimilem for-
unam nonnulli etiam Principes exper-
ſint, quorum iugulum per Friderici
at9 petitum fuiſſe demonſtrarunt ſub-
ecuti euent9, multo minus mirum eſt,
llius quoque miniſtros multis pericu-
is & criminationibus per iniquitatem
emporum objectos fuiſſe. Graſſantium
vero latronum in meam famam acerbi-
tatem non tam ægre tuli, quam adhuc
lætor me diſplicuiſſe illis, qui ex ζήλῳ
ἀζήλῳ religionis, tam immane excita-
runt in cariſſima patria noſtra incen-
dium, quod in hunc diem nondum ex-
tingui potuit. Verum de hac re nunc
plura verba non faciam, cum iam ante
plures quam XX annos edita pro me
publice Apologia ſycophantarum men-
dacia & falſi crimina ſolide reiecerim;
quam etiam inſecuti bubonum ex clau-
ſtris diri vlulatus euertere non potue-
runt: magnis & cordatis viris, etiam
Regibus & Principibus mihi fauenti-

 bus,

bus, & illorum nefandos & infauſtos conatus exſecrantibus. Demonſtrarunt etiam alii præſtantes & nobiles viri ſuis accuratiſſimis ſcriptis, contra vaniſſimam garrulitatem & ineptisſimas nugas, quibus malæ causſæ patroni me innocentem & alios bonos viros diffamare non erubuerunt, rerum geſtarum veritatem & conſiliorum pro bono publico ſinceritatem: & luctuoſi euentus hactenus re ipſa comprobarunt, non ex causſa Bohemica, prælio Pragenſi finita, ſed ex priuata quorundam ambitione, & a male ſanis ſanguinemque piorum ſitientibus hominibus, religionis potisſimum causſa ſuſcepto & tamdiu continuato lamentabili & funeſto hoc bello in Imperio, rempublicam in extremum diſcrimen coniectam; & non tantum exteros Reges irritatos attractosque in Germaniam, ſed ipſos adeo Turcas ad arma in Chriſtianos, in tot partes diuulſos & mutuis cladibus fractos, mouenda inductos fuiſſe.

Cæterum vt omisſis his triſtioribus

ad præſentem tranquillæ vitæ meæ
m redeam, non profecto in hoc ho-
) otio meo prorſus otioſus ſum.
: inter alias litterarias delicias, col-
nultis voluminibus ingentem nu-
ım epiſtolarum a claris doctisque
, tam Theologis quam Politicis
ium nationum ſuperioris ſeculi,
riis ipſorum manibus exaratarum;
nis ad vtrumque Joachimum,
ı & patrem meum p. m. Camera-
ɔt & ad alios eruditos complures,
la ætate floruerunt. Quod ſi quis
puerilem in hac parte ludum lu-
me putet, facile feram, & adagii
m in me quoque lubens agno-
, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Poſſem ta-
me, ſi res exigeret, tueri aliorum
plis, qui non minus ἰδιοχειρία
ıorum virorum ſe delectarunt, &
ſtudio amicorum ope & liberali-
ibenter vſi fuerunt. In iis vnum
n nominabo illuſtrem Joannem
entium Pinellum, Genuenſem pa-
m, virum nobilitate generis, vir-

 tute

tute& eruditione celebrem,& omnibus pene ſua ætate claris viris amicum, quem vere T. Pomponium Atticum ſui æui fuiſſe quis dicere poſſet. Is vt bibliothecam inſtructiſſimam, cuique fere nulla alia in priuata aliqua, quamuis illuſtri & diuiti,familia, in Europa par fuit, ſic etiam talium monumentorum inſignem theſaurum habuit, ad quem Joſephus Scaliger, & alii docti viri, ſymbolas ſuas contulerant. Cum vero ſingulari neceſſitudine parenti meo p. m. coniunctus vixerit, (quod innumeræ ejus ad hunc, quas habeo, epiſtolæ oſtẽdunt)ego vero familiariter ei adoleſcẽs Patauii notꝰ fuerim,honorificam tanti viri memoriam hoc loco me feciſſe non puto præter decorum eſſe. Eius vero bibliotheca, tum theſaurus ille litterarius magni pretii, cum in regnumNeapolitanum poſt ipſius mortem ad gentiles eius transferri debuit, in infauſta nauigatione magna ex parte aliisque variis caſibus interiit;vt hæc & alia multa de Pinello cognitione di-

gnis-

ſima in ejus vita retulit doctiſſimus
us Gualdus, Patricius Vicentinus.
ne quod attinet, fateor profecto, me
gendis & conſiderandis ſanctorum
orumque priſci ævi candore & in-
tate eximiorum virorum epiſtolis,
nam voluptatem percipere. Nam
l eſt in veteri verſu, Ἀνδρὸς χαρακ-
ὴ λόγυ γνωρίζεται, idem omni-
atuendum eſt de epiſtolis, in qui-
um non erubeſcant, ſæpius majori
dentia expromi ſolent animorum
is & affectus, quam in familiaribus
quiis. Itaque cum tantorum vi-
m litteras lego, quorum animas
in æterna luce & beatitudine eſſe
o, non tam ipſos coram intueri ac
re mihi videor de pulcherrimis re-
necum differentes, quam me ad
em felicitatem evocantes; ut eo
s in me creſcat majus deſiderium
ἀναλῦσαι, καὶ σὺν Χριςῷ εἶναι.
eo penes me inter ejusmodi κειμή-
quadringentas, aut forte plures,
iſſimi & de republica tam littera-
ria

ria quam eccleſiaſtica optime meriti viri, Philippi Melanchthonis (cujus placidisſima anima in cœlis intuetur gloriam ineffabilem Dei & Domini noſtri) ad varios tam Theologos quam Politicos ſcriptas epiſtolas, nondum in publicum editas. Illas vt in lucem producerem, ſæpius me & quidem vehementer adhortatus es, *illuſtris & generoſe Domine*, nec in me vnquam mora fuit, quin lubens gratificarer honeſtisſimis tuis deſideriis. Sed vix reperiuntur nunc typographi, qui hujusmodi ſcripta velint excudere. Verisſime alicubi ipſe Philippus Melanchthon in quadam ad Amicum epiſtola ſcripſit: ferreum hoc hominum genus eſſe, nec publicis commodis, nec dignitate rei litterariæ moueri, ſed pulcherrimũ artificium turpiſſimi quæſtus ſtudio contaminare. Non tamen hoc dictum velim de omnibus, ſed de iis tantum, de quibus Philippi querela etiam noſtro tempore juſte poteſt repeti. Spero tamen optimi & humanisſimi viri, Domini

ni Georgii Summeri, Dantiſcanæ Eccleſiæ orthodoxæ miniſtri fidelisſimi, communis amici noſtri opera, me vel ad boream veſtram tandem hanc commoditatem inuenturum, ſi illa in his mercurialibꝰ locis mihi contingere nõ poterit. Habeo inter alia duo volumina epiſtolarum Wolfgangi Zindelini Conſtántienſis, quibus ad patrem meum p. m. ab anno 1573 vsque ad annum 1591 ex Venetiis continua ſerie copioſe & prudenter ſcripſit, quæ tum temporis fere in toto terrarum orbe geſta ſunt, genere dicendi tam eleganti, vt ad Ciceronis imitationem quam proxime accesſiſſe videatur. Is olim Chriſtophori Principis Palatini, optimi Electoris Friderici III filii, qui in campo Mouacenſi non procul a Neomago contra Hiſpanos fortisſime pugnans occubuit, ephorus fuit. Extat autem inter Epiſtolas illuſtrium & clarorum virorum vel a Belgis vel ad Belgas ſuperiori ſeculo ſcriptas & Lugduni Batauorum anno 1617 editas, in II centuria,

pri-

Digitized by Google

prima ad Dn. Zindelinum a nobiliſſimo viro Adriano Mylio (qui diu Præſes ſupremæ in Hollandia curiæ anno 1590 (Hagæ Comitis ex apoplexia obiit) Spiræ Nemetum 25 Februarii anno 1573 exarata: in qua optimi illius Electoris Friderici III præclarum de Zindelino extat elogium, & inter alia hoc quoque recenſet, dixiſſe ſibi Electorem, quod ſi ex Italia ad ſe ille rediiſſet, ſe in conſiliariorum ſuorum numerum eum, vt bene de ſe & filio ſuo meritum & dignum eo munere, recipere voluiſſe. Ipſe autem Mylius multis Zindelinum laudibus eximiæ virtutis & eruditionis in ſua illa epiſtola exornat. Facit etiam eius honeſtam mentionem, & quod in Italia ei ſoli ſe aperire auſus fuerit, Paulus Merula in præfatione ſua ad lectorem, ad fragmenta Q. Ennii. Ipſe quidem vir bonus & otii honeſti potius quam aulici ſtrepitus amans, diu Venetiis manſit, per aliquot annos in ea ciuitate a ſereniſſimo Electore Saxoniæ Chriſtiano I liberaliter

ſuſten-

Digitized by Google

ſuſtentatus; ſed tandem in Germaniam,& poſt hujus obitum Heidelbergam rediit,cum quidem eo tempore magna in aula Saxonica mutatio incidiſſet. Fridericus IV Elector Palatinus in ipſa arce & aula eum ſecum in pretio habuit, accuratis ejus & prudentibus ſermonibus plurimum delectatus, vbi gratus certe fuit omnibus. Ego vero reuerenter ipſum colui, atque ideo hic eius honeſtam mentionem facio: quamuis dubitem,an, *illuſtris Domine*, illum adhuc Heidelbergæ videris ac noueris. Exceſſit enim anno MDCI ex Palatinatu, omnibus inſciis,panico quodam terrore ſiue potiꝰ atra melancholia ex cauſſis mihi non ignotis correptus,& inHeluetia Vitoduri conſedit, ac in extrema ſenectute, cum antea cælebs vixiſſet, ducta ibi vxore, tranquille mortuus eſt. Patri meo p. m. & mihi inprimis fuit amiciſſimus,ſic vt hoc loco & hac occaſione probare voluerim poſtumæ eius memoriæ gratam mentem, & quod hanc narrationem tibi non iniucun-

dam

Digitized by Google

dam eſſe futuram exiſtimauerim. Habeo & alia eius generis, vt dixi, quamplurima αὐτόγραφα: duo etiam magna volumina Joannis Cratonis, trium Imperatorum archiatri, in quibus non tantum ſunt multa philoſophica & medica ſummæ eruditionis, ſed complura etiam de rebus tam theologicis quam politicis memorabilia, & conſtat, quanti illum virum Philippus Melanchthon & Joachimus Camerarius ſenior fecerint. Meus vero Pater aliquot annis Vratislauiæ cum illo vixit, & principia artis medicæ ab eo hauſit, perpetuo vt parentem coluit, & ductum eius & conſilia ſecutus, in aſſidua ægrotorum cura præclaram laudem, etiam apud principes viros multos, inprimis apud Electores Palatinos & Saxoniæ, vt alios præteream, conſecutus eſt. Ex iis igitur monumentis, quæ in hoc ſenectutis meæ commodo ſeceſſu & in honeſta oblectatione ingenii cum voluptate aliqua collegi, adhibito delectu, quædam cum vtilitate multorum, vbi volente Deo

feli-

Digitized by Google

feliciora erunt tempora, ſiue a me ſiue poſt mortem meam a filio meo publici iuris fieri poterunt.

Cum autem, *illuſtris ac genero-ſe Domine Baro*, ad theſaurum illum meum ipſe quoque nonnulla contuleris, & ad publicationem litterarii huius boni mihi eunti ſæpius calcar addideris, volui nunc ſaltem aliquod eius ſpecimen tibi exhibere, & nomini fauorique tuo commendare; nempe Cl. V. Huberti Langueti Burgundi ad auum patremque meum non adeo multas ſcriptas epiſtolas. Nam longe plures ad ipſos exaratas fuiſſe, ſed deperditas, ſcio, ſiue incuria aut alio infortunio amiſſas. Quantus autem vir fuerit Languetus, etſi omnibus, qui & litteras coluerunt & ſuperioris ſeculi res compertas habent, notum ſit, tamen nomen eius & memoriam veris teſtimoniis ipſius virtutis, doctrinæ, ſapientiæ & multiplicis experientiæ ad omnem æternitatem conſecrarunt, inprimis Philippus Melanchthon in multis ſcriptis ſuis, Joachimus Camerarius in narra-

tione

Digitized by Google

tione de Philippi vita, tenerrimo vero cum affectu nobiliſſimus vir Philippus Mornæus Pleſſiacus in præfatione libri ſui de veritate religionis Chriſtianæ, & ampliſſimus Præſes Dn. Jacobus Auguſtus Thuanus in libro Hiſt. 74. Natione Gallus, ſed animi candore, fide, cultu & moribus vere Germanus fuit; & cum maiorem partem vitæ ſuæ prouectioris apud Melanchthonem Witebergæ, aut Lipſiæ apud Camerarium, niſi quando in peregrinationibus fuit, tranſegerit, omnium in ore illis locis fuit vulgatus verſiculus:

Optimus Hubertus, melior quo nemo repertus.

Perluſtrauit autem totam fere Europam; inprimis Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Hungariam, Sueciam & Poloniam; & vere

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Qua autem occaſione ex Italia in Germaniam ad Melanchthonem venerit, ipſe recenſet epiſtola XV huius libelli priori

priori parti inſerta; & plura etiam de illa auus meus p. m. antedictæ narrationi ſuæ inſeruit. Illa profecto memorabilis eſt,& clarum pietatis in eo viro ſingularis & veritatem cœleſtem percipiendi flagrantis deſiderii indicium exhibet; cum in mediis regni pontificii tenebris,atque adeo in ipſa Italia,de cunctis fidei Chriſtianæ capitibus, inprimis vero de S. Euchariſtia tum feruentibus in Germania certaminibus, adeo fuit ſollicitus. Verum de illis omnibus Philippus Langueto intima ſui pectoris ſenſa aperuit, vt vterque in ſimplicitate ſinceræ fidei, cum Apoſtolorum & primitiuæ eccleſiæ doctrina conſentiente acquieuerit,&a nouis puriori antiquitati incognitis, illa ætate per contentioſos quosdam theologos excogitatis,& ad turbandas eccleſias inuectis dogmatibus, ſemper abhorruerit. Neque enim obſcurum, & a CL. Peucero aliisque accurate demonſtratum eſt ſcriptis publicis, quæ in eucharistica illa controuerſia poſt accuratio-

rem

rem cum̃ Oecolampadio disquiſitionem Philippi fuerit ſententia, quam vsque ad pium ſuum obitum conſtanter retinuit; quamuis eam non omnibus promiſcue διαῤῥήδην, certo ſuo conſilio vſus, aperuerit. Cum contentioſis vero theologis de illo argumento rixari publice nunquam voluit. Semper enim prouocauit ad doctorum & piorum virorum colloquia, aut ad communes ſynodos, in quibus non daretur locus ſophiſticis altercationibus. Vt vero ad rem redeam, tanta profecto eſt vis veritatis, vt ipſe Eraſmus Roterodamus, alioquin ſæpius ἀμφίβιος & σκεπτικὸς, in quadam ad Bilibaldum Pirckheimerum Senatorem Norimbergenſem celeberrimũ ſcripta epiſtola ingenue faſſus ſit, quod ſibi non diſpliceret Oecolampadii de Euchariſtia ſententia, niſi obſtaret conſenſus Romanæ eccleſiæ. Nec enim ſe videre, quid agat corpus inſenſibile, nec vtilitatem allaturum ſi ſentiretur, modo adſit in ſymbolis ſpiritualis gratia. Hæc enim ſunt Erasmi verba

lam vt ille perſpicacisſimo inge-
it, ita recte animaduertit, Oeco-
adii doctrinam planam, ſimpli-
t puram, vtpote verbi & menti
ti proximam, inprimis cum Pauli
pretatione de ſpirituali *κοινωνίᾳ*
ruere, & denique vetuſtiorum Pa-
teſtimoniis conſtanter confirma-
aque cum ea ſit non tam Oeco-
adii, quam veteris Eccleſiæ or-
oxa ſententia, mens pia cum ſum-
onſolatione & certitudine ſalutis
n illa poteſt acquieſcere; ſic vt mi-
e opus ſit, ad carnales cogitationes
ri fidelium mentes de rebus ſpiri-
ibus & cœleſtibus, quæ ſola, pura &
uiſita fide, *μόνῃ καὶ ψιλῇ καὶ ἀζητή-*
πίστει accipiuntur, vt alicubi præ-
e Cyrillus ad obiectiones Theodo-
monuit. Nam profecto quæ ſequi-
bus temporibus a Scholaſticis per
loſophicas ſpeculationes, ſ. de *μετ-*
ίᾳ ſiue de *συνουσίᾳ* exortæ & ventila-
ſunt nouæ prorſus & periculoſæ opi-
ones, cum *ἀεργολογίαν* inuehere,
tum

tum innumeris abſurditatibus inuolutas & inextricabilibus contradictionibus implicatas eſſe, manifeſtum eſt. Quæ cum ita ſe habeant, indignis profecto modis a quibusdam ingratis Philippi diſcipulis adeo exagitatum fuit eius iudicium de eucharistica controuerſia, miſſum ad optimum Electorem Palatinum Fridericum III anno 1559, vt rem ipſam accurate admodum expoſuit auus meus in Philippi vita. Habeo autem ego inter alia documenta de illo, ipſius Joannis Brentii inter multas ad auum meum p. m. eius manu ſcriptas epiſtolas, vnam 21 Octobris anni 1560 datam, in qua dicit, ſe eo Philippi iudicio non offendi, quamuis non ſint defuturi, qui illud impugnent. Et in alia 7 Januarii anni 1561 ſubſecuta epiſtola eo progreditur, vt Nicolai Galli Ratisbonenſis cenſuram contra Philippi illud iudicium in publicum emiſſam, ineptam glocitationem vocet. Hæc enim ſunt illius verba. Et profecto, ſi Brentius de tota illa doctrina retinuis-

ſet ſuam declarationem, quam
put VI Exegeſeos ſuæ in Joannis
gelium ſatis orthodoxam nobis
uit, nec mirifica & antiquitati in-
ita dogmata poſtmodum ſparſiſſet,
as diſſidiorum exortum fuiſſet in
eſtantium eccleſiis. Non hæc recen-
quod curioſe falcem in theologo-
meſſem immittere velim, ſed ſal-
vt occaſione ex Philippi & Huberti
citia ſumta oſtendam, multa ἀυτό-
ιφα ἀξιόπιςα inter chartas meas
, ex quibus quæ hactenus comme-
raui euidenter demonſtrari poſſint.
æ etiam cauſſa eſt, vt ex animo dole-
, quod inquieti quidam ſpiritus,
npore adeo alieno, & in tanto omni-
n Proteſtantium diſcrimine, nihilo-
inus inter eos nouas diuiſiones diuer-
in locis adhuc ſerere machinentur;
im potius ab iis vnice laborandum
let, vt fraterno inter ſe ſancito ſyncre-
ſmo, Antichriſto & hujus propu-
natoribus ſe fortiter opponerent; aut
altem vt partium ſtudia tamdiu factis
c inter

inter has quibusdam veluti induciis quieſcerent, donec vniuerſali omnium Euangelicorum ſynodo inter vniuerſos ſincera fieret concordia; cum neutra pars in alteram in cauſſa fidei iurisdictionem aut poteſtatem habeat. Quod faxit Deus optimus maximus.

Sane Langueti ætate, poſt obitum Philippi, ſubſequentibus annis, nouatorum quorundam commotione, magna incidit in eccleſiis Saxonicis perturbatio, in qua γνήσιοι Melanchthonis diſcipuli partim carcerum, partim exiliorum mala experti ſunt. Comprehendit calamitas illa etiam aui mei generum Eſromum Rudingerum Papebergenſem, Profeſſorem Wittebergicum, Philippi collegam & amicum intimum, doctiſſimum & optimum virum, Langueto quoque familiarem, vt liquet ex hujus epiſtolis, eumque in voluntarium exilium in Morauiam ad fratres Confeſſionis Bohemicæ expulit. Ego vero exacte, tum temporis in religionis illa conuerſione cum ipſo Torgæ & VVitteber-

gæ

gæ acta, propria ipſius manu conſcripta, aſſeruo; quæ ſi lucem ipſa aliquando adſpicerent, plurimum lucis allatura eſſent iſtorum temporum hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Quantus autem vir fuerit Eſromus, tum ſcripta ab ipſo edita, quæ penes me habeo, tum inprimis luculenta ejus in librum Pſalmorum paraphraſis, aliquot partibus comprehenſa & Gorlicii in Luſatia anno 1581 typis impreſſa, oſtendunt. Inter Morauos in paralyſin, morbum in gente illa frequentem, incidit: de quo erudite commentatus eſt in quadam ad Jacobum Monauium epiſtola, quæ adjecta eſt ſub finem ipſius in Pſalmos operis. Ipſe quidem ex eo omnem pene manuum pedumque vſum amiſerat, vno pollice in dextra integro, per quem attracto ad ſe calamo & concauitati inſerto ægre lineas duxit: ſed complura indefeſſo labore eo modo perſcripſit. Solebat autem, vbi nomen ſuum in charta ſubjiceret, hæc duo verba adjungere, *ἄχειρ καὶ ἄπους*. Ex Morauis tandem jam ſe-

nex ad affines ſuos, patrem meum, & Philippum Camerarium IC. Reipublicæ Noricæ Conſiliarium & Academiæ Altorfinæ Cancellarium, patruum meum, Noribergam venit; vnde Altorfium vectus aliquandiu ibi vixit, iucundiſſima vſus conſuetudine Academiæ illius profeſſorum; inprimis Hugonis Donelli, celeberrimi Juris Anteceſſoris, doctoris mei, cum quo de rebus theologicis colloquia præcipue miſcuit. Me paterno amore complexus eſt, & multis præclaris ſubjectionibus inſtruxit; præceptorem etiam tum meum, Conradum Rittershuſium, paucis poſt annis Juris in illa Academia Profeſſorem primarium, qui per integrum triennium in bonis litteris me priuatim inſtituit, in magno pretio habuit. Vno autem eodemque anno & Donellus & Eſromus pie obierunt, nimirum Chriſti 1591, cum ambo ejusdem ætatis vitæ curriculum tranſegiſſent per annos LXIIX. Ego quoties ſenem adſpexi, miratus ſum in corpore tam male affecto & σκελέτῳ

non

non abſimili, tam igneum & viuidum ſpiritum; cum fortunam aduerſam ſuam pene rideret, & ſæpius ſe per iocum ad amicos appellaret Claudium Claudum. Nam in familiari ſermone mirifice jucundus & ingenioſe facetus, ideoque omnibus bonis pergratus fuit. Didymum igitur Alexandrinum non amplius miremur, qui a puero cæcus, cum alia præclara, tum in Pſalmos quoque ſcripſit: quo etiam alludit Eſromus in indicata ad Monauium Epiſtola, quod ipſe quoque in Pſalmos, ſed pene ſine manibus, ſcriberet.

Verum reuertatur diſſertatio ad Languetum noſtrum. Hic igitur ob turbas iſtas, tum a theologis in Miſnia excitatas, & ex illis, diſſipata Academia Wittebergenſi, objecta amicis ſuis pericula, magnum dolorem percepit; cum quidem illo tempore eſſet vnus ex Principis Saxoniæ Auguſti Septemuiri conſiliariis; quorum non minus, quam profeſſorum Wittebergenſium, ſaluti ſtruebantur inſidiæ. Ampliſſimus certe Præ-

ſes Dn. Thuanus in ſua Hiſtoria commemorat, ac ſi Languetus in ſuſpicionem veniſſet, quaſi Epexegeſis de cœna Domini a Caſparo Peucero & aliis juxta Helueticam confesſionem diſſeminatæ conſilio participaſſet, atq; eam ob cauſſam ab aula Saxonica diſcesſiſſet. Facile hoc crediderim, cum in multos etiam alios, quamuis innocentes omnes, ſuſpicio iſta graſſata fuerit; cum tamen neque Peucerus, neque alius quiſquam ex illis, ſed quantum ex viris fide dignis, qui eo tempore vixerunt, intellexi, Joachimus Curæus Sileſius, medicus & philoſophus inſignis, Exegeſeos illius, quæ oleum camino jam ardenti infudit, quamque cum turbatores refutare non poſſent, omnibus modis abolere voluerunt, auctor fuerit. Quicquid ſit, vt nihil hic pro certo affirmo, ex Langueti epiſtolis hoc tamen apparet, non propterea illum Ducis Auguſti gratia excidiſſe; ſed hunc potius cum in aula Imperatoris tum aliis in locis ſæpius adhuc ejus conſilio & opera vſum fuiſſe, donec

donec tandem ab eo benignam dimiſſionem impetrauit, quam ipſe etiam honorifice prædicat. Scribit quidem inter alia, metuendum fuiſſe, ſi Joachimus Camerarius ſenior, auus meus b. m. tragœdiæ illi Saxonicæ ſuperuixiſſet, architectos illius ne ipſius quidem venerandæ ſenectuti parcituros fuiſſe; & Cl. D. Peucerus cum in hiſtoria carceris ſui, tum in quadam epiſtola ad patrem meum ſcripta 25 die Aprilis anni 1591 affirmat, Conſulem quendam Lipſienſem ſibi bis aperte dixiſſe, ſi vixiſſet Camerarius, eodem loco, quo ipſe eſſet, hunc quoque futurum fuiſſe; ſed ego tantam rei indignitatem & erga virum de eccleſia & republica optime meritum immanitatem, ne imaginari quidem mihi poſſum. Quamuis enim auus meus Philippi Melanchthonis & ſimplicis veritatis ſtudioſiſſimus eſſet, ab iſtis tamen theologicis contentionibus ſemper alieniſſimus fuit. Et habeo ego de Exegeſi illa ipſius ἰδιόχειρον judicium, ad filium ſuum Joachimum patrem me-

Digitized by Google

ũm 6 Februarii anno 1574, atque ita paullo ante ejus obitum, perſcriptum, in quo vt alieno tempore illam publicatam fuiſſe, ſic auctorem non obtemperaſſe Pythagorico præcepto cenſuit, vetanti τὸ πῦρ ξίφει σκαλεύειν.

At his omiſſis, ad ipſum Languetum potius & ejus laudes nunc redibo. Poſſem ego illas multis documentis in notitiam hominum producere; verum ejus ſingulares virtutes & candidiſſimi animi egregias dotes, quaſi compendio quodam accurate comprehenſas, ad omnem poſteritatem, ære perennius monumentum poſterorum oculis & conſiderationi hodieque objicit & demonſtrat, poſt ipſius beatam ex hac mortali vita migrationem in cœlos, Antvverpiæ erectum Epitaphium. Nam in magna etiam æſtimatione fuit apud optimum & æterna laude dignisſimum Principem Gulielmum Arauſionenſem, ad quem poſtremis annis ſe contulerat; qui ipſius fidelisſimis conſiliis in mediis Belgicæ tempeſtatis procellis, ſæpius vſus

vſus fuit. In plerisque Imperatorum, Regum & Principum aulis in Germania, Gallia & Belgio gratus acceptusque, in arduis negotiis fidem ſuam, prudentiam & dexteritatem conſpicuam reddidit. Cum illuſtribus vero & magnis viris Lazaro Suendio, Chriſtophoro Carolovitzio, Andrea Dudithio, Joanne Cratone, & aliis innumeris, amicitiam coluit; vt de plerisque eo æuo doctis & claris viris aliis nunc mentionem nullam faciam; ne de Adriano Turnebo quidem, qui ipſum inter cariſſimos habuit. Sed inter præcipuos etiam illuſtris ac generoſi Domini Burggrauii & Baronis Fabiani a Dona, patrui tui, tum juuenis, honores & incrementa magna cum cura & ſollicitudine promouere ſtuduit; non tantum in aula optimi Imperatoris Maximiliani II, ſed in Stephani quoque, Poloniæ Regis, vt ejus epiſtolæ quædam, quæ etiam penes me ſunt, luculenter demonſtrant. Quantus autem poſtea Heros ille Dominus Fabianus a Dona euaſerit, & quo

 amo-

Digitized by Google

amore & cultu illuſtriſſimus Princeps Joannes Caſimirus Palatinus eum proſecutus ſit, ejusque opera cum in bellicis tum in aliis grauisſimis negotiis, ipſe & Fridericus IV Elector, vſi fuerint, quæque ille pro republica & Palatinatu multa præclare geſſerit, ego facile commemorare cum ſempiterna ejus gloria poſſem, ſiquidem res epiſtolæ modum non excederet. Nec etiam vt faciam opus eſt, cum clarisſimus & eruditisſimus Dn. Voſſius vitam ſummi iſtius Herois accurate perſcripſerit. Sed hoc vnum cum indicio grati ac deuoti erga ipſum animi præterire nequeo, quod in comitiis Imperii anni 1603 legationis Palatinæ princeps, ſingulari me gratia & fauore complexus, multa mihi vltro ſalutaria monita ſuggesſit, quæ expertus fui in mea functione mihi fuiſſe vtiliſſima. Sed Languetus ingenui pectoris, & erga liberalia ingenia intrinſeci affectus, propenſa ſua ſtudia inprimis effudit in Philippum Sydnæum, Equitem Anglum, tandem Vliſſingenſem Gubernato-

natorem; ad quem complures epiſtolas ſcripſit, tantæ doctrinæ copia & tot honeſtæ inſtitutionis præceptis refertas, vt vix putem in eo genere aliquid extare ſimile. Scribit Cicero, ſe Cyripædiam & contriuiſſe legendo, & Scipionem Africanum nunquam depoſuiſſe de manibus, non ad hiſtoriæ fidem ſed ad effigiem juſti imperii compoſitam. Ego hanc pædiam qua Languetus Sydnæum, tam pie, erudite, & paterno prorſus affectu ad virtutis & honoris gradus inſtruxit, fere auſim comparare cum Pythagoræ aut Socratis ſinceritate & ſollicitudine, qua diſcipulos ſuos ad veram philoſophiam & beatam vitam, vt illi putabant, duxerunt. Illas memini, *illuſtris Domine*, quod magna cum diligentia deſcribi ante complures annos tibi curaueris in Anglia; ſed poſtea anno 1633 Francofurti editæ fuerunt, & inſcriptæ nobilisſimo Domino Stephano Leſieuro, Equiti & Conſiliario Sereniſſimæ Reginæ Eliſabethæ & Jacobi Regis M. Britanniæ, quem nos ambo in legatio-

gationibus in Germania vidimus, & erga nos beneuolum coluimus. Has autem, quas nunc conſpicis, ad auum & patrem meum p. m. ſcriptas, in eadem, qua illæ ad Sydnæum impreſſæ fuerunt, forma excudi ſtudui, vt vtræque in vno volumine compingi & peregrinantibus inſtar comitum in via eſſe poſſint. Nec puto tibi diſpliciturum eſſe hoc meum conſilium. Verum temperare mihi nequeo, quin pauca adhuc de optimo Langueto adiungam. Etenim in his quoque epiſtolis, quas nunc κτήσει καὶ χρήσει tuas facio, ſpero complura reperies, quæ & lectione tua minime indigna & delectationem nonnullam in memoria ſuperioris ſeculi tibi allatura ſint. Nam quæ ille, eo tempore quo ſcripſit, de funeſtis in Italia, Gallia & Belgio geſtis bellis commemorat, inprimis etiam de Turcarum machinationibus contra Venetos & totum orbem Chriſtianum, talia ſunt, vt ex illis quid nobis vrgentibus imperiorum fatis expectandum ſit, facile conjicere poſſimus;

mus; qui atrociſſimis bellis ciuilibus nos ipſos conficimus, atque adeo re ipſa per noſtras diuiſiones Turcis viam & modum oſtendimus, quo nos in viſceribus Germaniæ poſſint opprimere. Nam ne ſemel quidem bellorum iſtorum architecti recordantur, quæ calamitates & quibus ex cauſſis olim inter ſæuas epiſcoporum concertationes, florentiſſimas Aſiæ & Africæ eccleſias obruerint, vt nunc gemant ſub Mahumedis jugo & tyrannide; quaſi non eadem Europæ juſto Dei judicio ob ſimiles, vel majores etiam, de religione ætate noſtra pugnas & perſecutiones contingere poſſint; niſi mature, honeſta ac ſecura inter Chriſtiani nominis populos ſtabilita pace, ſublatis internis diſcordiis, & intermiſſo in hominum conſcientias dominatu, omnimoda πανολεθρία & extrema malorum cito auertantur. Quam prudenter autem Languetus animaduertit, nulla vnquam arma religionis cauſſa ſumta eorum auctoribus fuiſſe felicia? ipſa enim experien-

roi, Principi Auriaco, qui nunc fœderatis Belgii prouinciis & rebus bellicis ſumma cum gloria præeſt, Principatui Arauſionenſi præfectus in maximo honore & dignitate tranquille & feliciter diem ſuum obiit. Ego quidem, cum alterum quoque nunc pedem in ſepulcro habeam, ſi Deus breui, vt illos εἰς τὸ πολίτευμα οὐράνιον ſequar, paterne jubeat, parebo in fide & ſpe æternæ beatitudinis obediente animo lubens; ſin vero tamdiu adhuc viuere me velit, vt pacem quam Chriſtiano orbi ab eo aſſiduis ardentiſſimisque precibus vnice expeto, conſpiciam, cum omnibus piis & mecum in exilio diſperſis diuinæ ejus bonitati & miſerationi gratias agam ex intimo pectore maximas. Bene vale, *illuſtris ac generoſe Domine*, Ex Groninga Friſiorum. Calendis Februarii, anno MDCXLVI.

ELO-

***

ELOGIA LANGVETI

IACOBVS AVGVSTVS THVANVS

Hiſtoriarum libro LXXIV de anno MDLXXXI fol. 533. 534.

NOn prætermitti debet Hubertus Languetus, Vitellii in Æduis natus, vir doctiſſimus & humaniſſimus, ac rerum Germaniæ, in qua fere totam vitam contriuit, & vbi mihi arcta cum eo amicitia fuit, peritiſſimus, & ſummus Joachimi Camerarii amicus; qui cum Auguſto Saxoni Septemuiro operam ſuam addixiſſet, & præcipui conſiliarii officio apud eum diu defunctus in ſuſpicionem veniſſet, quaſi Epexegeſis de cœna Domini a Caſpare Peucero & aliis iuxta Helueticam confesſionem

d diſſe-

diſſeminatæ conſilio participaſſet, ab ea aula diſceſſit, & ſe ad Arauſionenſem contulit; apud quem dum grauisſimis negotiis explicandis, quibus par illius animus erat, ſedulo incumbit, morbo correptus, anno climacterico ſuo pridie Kalendas Octobres Antuerpiæ deceſſit.

PHILIPPVS MORNÆVS
Pleſſæus in præfatione libri de Veritate religionis.

H*uberti Langueti, viri clarisſimi, toto orbe Chriſtiano in primis noti, obitum doluerunt qui nouerant omnes. Ego quem vnice venerabar parentis loco, vnice defleui. Vt vero animum recolligere licuit, ſubibat ſubinde mentem illud Eſaiæ cap. LVII.* Iuſtus obit, nec eſt qui animum aduertat: ſublatus eſt pius, nec eſt qui intelligat, ereptum eſſe eum malo vt introducatur in pacem. *Languetus hic noſter quis fuerit, pauci noſtra*

æta-

Digitized by Google

ætate rogabunt, quia plerique norant; at noſſe debent omnes, quia omnium vtilitati, ſi quis vnquam, conſuluit: debent præſertim poſteri, quorum nemo ſtudioſior vixit. Dicam quod ſentio, & vero quod res eſt: certauit in hoc viro cum pietate doctrina, cum conſcientia ſcientia, cum natura ars, cum diſciplina rerum vſus. Nemini mundus melius cognitus: ex mundi perluſtratione vnum didicerat mundi contemtum: nemini etiam mores hominum magis peruii; in tam multiplici interim cognitione tantam morum ſimplicitatem nemo non mirabatur. Ne pluribus: is fuit Languetus, quales plerique videri volunt: is vixit, quales optimi mori cupiunt: & porro vitam optime actam mors optima, mors placidiſſima, mors in Chriſto beatiſſima, & beatiſſimæ vitæ proxima, laude & gloria coronauit. Ego certe, quod mihi vnum ſupereſt, hominis memoriam colam, dum viuam.

JOACHIMVS CAMERARIVS

in vita Philippi Melanchthonis p. 341. 342. 343.

GAllicæ nationis Hubertus Languetus Heduus (Burgundi nunc nominantur) multis annis vixit verſatusque eſt apud Philippum Melanchthonem, cum Wittenbergam veniſſet anno Chriſti M D XLIX. Neque ab ipſo diſceſſit niſi interdum per interualla quædam peregrinationum, quibus mirifice delectabatur, donec Philippi Melanchthonis vita in terris durauit: vt horum conſuetudo annum attingat duodecimum. Erat autem Philippo grata atque iucunda multarum magnarumque rerum, quas ille tenebat, commemoratio, & oratio de regibus principibusque gubernationum, & aliis ſapientia, virtute, doctrina præſtantibus viris horum temporum. Neque ego audiui vllum alterum, qui tam prudenter, & certo, & plane, dilu-

dilucide, diſerte exponeret quicquid narrare inſtituiſſet. Non ille in hominum nominibus falli, non indiciis temporum errare, non confundere rerum negotiorumque ſeriem. Erat autem in eo ſingularis ſagacitas in notandis naturis hominum, & coniiciendo quo quisque ſuopte ingenio deferretur, & quæ eſſet voluntatis inclinatio. Conſiliorum etiam ſolertisſimus æſtimator, & euentuum futurorum prouiſione admirabilis. Hunc lectio libri cuiusdam in Italia, vbi tunc ipſe degeret, a Philippo Melanchthone compoſiti, cupiditate incenderat videndi auctorem illius, & ea ſtimulos perpetuo admouens perpulerat tandem, vt in Germaniam veniret & Wittenbergam ſe conferret. Vbi more conſuetudineque ſua accepit eum Philippus Melanchthon humanisſime, & perſpecta virtute integritateque eius, ſecum eſſe libenter paſſus quoad vixit, & obſeruantiam fidemque ipſius eſt expertus, ſummam beneuolentiam erga illum perpetuo retinens. Suntque ſæpe auditi ſermones Philippi Melanchthonis prædicantes accurate

rate Huberti probitatem, & ſtudium veritatis, & prudentiam, & explicatam cognitionem, atque ſcientiam earum rerum, quarum periti & ſibi laudem & aliis vtilitatem acquirere conciliareque conſueuerunt. Hubertus vero eam grati animi ſignificationem honoremque Philippo viuo, & mortuo meritorum recordationem, pietatemque præſtari ſemper ſtuduit, vt perſpicue declamretur animi ipſius ſingularis erga illum affectio, quem omnibus officiis præſentem coluiſſet, & cujus erepti nomen honore veneratione que perpetua, & memoriam deſiderio ac lacrimis proſequeretur.

GERH. IO. VOSSIVS in comment. de geſtis Fabiani a Dhona p.39.

AMicos colebat Philippum Sydnæum, Angliæ ſidus præfulgidum, & Hubertum Languetum, virum multiplici eruditio-

ditio·

❁ ❁

ditione, ac præclara rerum cognitione, & experientia præſtantisſimum. Extant epiſtolæ, amicitiæ hujus documenta & indices, quæ iam prodiere in vulgus, nihil minus quam vulgari elegantia exaratæ.

Ibidem p. 43.

H*Ubertum Languetum Burgundum dici nonpoteſt, quanto loco habuerit: quoniam in eo verisſime, teſte magno veracique viro, imo ipſo ſeculo teſte, cum pietate doctrina, cum conſcientia ſcientia, cum natura ars, cum diſciplina denique rerum vſus certabat. Ab hoc viro nunquam ſe Dhonanus abiiſſe profeſſus eſt, quin vel doctior vel melior rediret.*

Digitized by Google

HVBERTI LANGVETI Burgundi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EPISTOLÆ

ad JOACHIMVM CAMERARIVM Pabepergenſem, Academiæ Lipſienſis Profeſſorem.

I.

Chariſſime Domine Præceptor: Accepi litteras tuas humaniſſime ſcriptas, in quibus mihi gratiſſimum fuit perſpicere animī tui generoſam ſollicitudinem pro veteri amico Jacobo Ireneo, qua iam te liberabo. Recens enim mihi eſt Antuerpia ſcriptum, Oratorem Gallicum cum tota familia per auia loca deductum eſſe ad limites regni, ac redditum præfectis Gallicis. iam enim depoſita omni actione de pace, promulgatum eſt bellum. Veneti, qui dicuntur animos addidiſſe Pontifici ad excitandum hoc incendium,

tem res ſunt plane deploratæ. Deus immenſa ſua miſericordia & bonitate conſeruet eccleſiam ſuam inter iſtas dilacerationes imperiorum: quod non dubito eum facturum, licet ii quibus eius ſalutis cura præcipue incumbebat, hoc videantur agere vt omnia euertant. Clariſſime Domine reuerenter a te peto, vt quam primum poteris mihi aliquid ſignifices de aduentu dominipræceptoris Philippi in iſtas regiones: hic enim eius cauſſa exſpecto. Quod ſi ſcirem eum non venturum, ego rebus meis aliter conſulerem. Poteris mittere litteras ad Dn. Nicolaum Bromium. Deus te & tuos conſeruet. Saluta obſecro nomine meo humaniſſimum filium tuum Joachimum, cui vtinam in re aliqua inſeruire poſſem. Francofordiæ, decimo Cal. April. MDLIV.

II.

Clariſſime Domine: Nuper conueni Bruxellis Ireneum veterem tuum hoſpitem tui amantiſſimum, qui vbi ex me cognouiſſet, te & tuos Dei beneficio recte valere, & vt ſe res tuæ habent, maximam voluptatem ex ea re capere mihi viſus eſt. Dedit mihi ad te litteras, quas mitto, in quibus puto eum de toto vitæ inſtituto & rerum ſuarum ſtatu ſcribere. Quare non exiſtimaui de ea re aliquid mihi eſſe ſcribendum. Viuit Bruxellis apud Oratorem Regis Gallici, a quo magni fit. Conſtitui eo redire poſt aliquot ſeptimanas & aliquandiu ibi hære-

re, vt aliquid addiſcam de ratione illius gubernationis. Me ibi fuiſſe, nemini præterquam tibi & domino Præceptori indicaui: quare reuerenter peto vt hoc apud te retineas. nam mea intereſt vt neſciatur. Saxones valde metuunt conſpirationem Imperatoris & Regis Galliæ cum Romano Pontifice; ſed iſte eſt inanis metus. nam non admodum bene conuenit inter Imperatorem & Regem, & fiunt vtrinq; ſuſpectæ poſtulationes & reſponſiones, & valde vereor ne negotium Anglicum præbeat cauſſam violandarum induciarum. Multi ex præcipua nobilitate Anglica recens fugerunt in Galliam, & aliqui a Regina ſunt affecti ſupplicio. Putant Imperatorem aliquid vi tentaturum, & iſtam nauigationem in Hiſpania ſimulari propter illud negotium. Rex Sueciæ adhuc gerit bellum cum Moſcho. Liuonici equites obſident Chriſtophorum Meckelburgenſem in quadam arce Archiepiſcopi Rigenſis. Rex Poloniæ dicitur indixiſſe bellum ipſis equitibus. Multi milites nauigant Lubeca in Liuoniam. Deus conſeruet te & tuos. VVittembergæ, XII Cal. Auguſti MDLVI.

III.

CLariſſime Domine: Ago tibi ingentes gratias pro eleganti munere. Nudius tertius accepi ex Dania libellum noſtra lingua ſcriptum de magiſtratibus regni Gallici, quem ad te mitto. Scio quod argumentum tibi

cebit, ſed auctor non fuit ei par; ſunt ta-
n libello quædam non indigna lectu. Il-
s iterum omnia turbat, & onerat multis
iniis noſtros, & præcipue dominum Præ-
rem. forte vidiſti eius ſcriptum. Puta-
antea eum minus futilem eſſe, & maiori
oſſe tegere ſuam malitiam. nam quæ ad-
iunt tam ieiuna & inepta, vt non dubitem
in cauſſa, vt veniat in contemtum etiam
ſuos confœderatos. Nihil video in eo
to niſi ingens ſtudium calumniandi. Si-
catum eſt mihi a quodam amico, illud an-
ios menſes eſſe impreſſum. interea tamen
ılabat ſe expetere concordiam. iſte eſt can-
quem tantopere in ſe prædicat. Senatus
gdeburgenſis prohibuit ne in vrbe vendere-
. Videtur eſſe circumacta periodus impe-
Illyrici. nam, vt ſolent qui æſtuant animo
quodammodo ſuum fatum præſagiunt,
ılta molitur ad quæ tanquam ad cauſſas ruina
ıs poſtea referetur. Dominus præceptor
nnino conſtituit reſpondere. Deus conſer-
t te cum tuis omnibus. Saluta, obſecro, meo
omine Joachimum filium, quem oro vt litte-
s quas iſtis adiunxi reddat meo populari, ſi
t ei notus. VVittembergæ, XIV Cal. Sept.
IDLVI.

IV.

Quæ de tumultibus bellicis audiuntur ſunt eiusmodi: Imperator dicitur affeciſſe ſup-

plicio Archiepiſcopum Toletanum Cardinalem ob pecuniam Romano Pontifici miſſam. Fama eſt etiam, eum occupaſſe Alghieram in Mauritania, & iam parare reditum in Belgium: ſed hoc poſtremum vix credo. Rex Philippus XX Martii Caletibus nauim conſcendit traiecturus in Angliam: eo venerat comitatus decem equitibus tantum. Soror reginæ Angliæ dicitur nuptura Sabaudienſi. Exercitus Gallicus pertranſiit Ducatum Mediolanenſem, & via Æmilia & Flaminia peruenit in Picenum circa æquinoctium: fuit Laureti prope Anconam. Petrus Strozza eſt dux pontificii exercitus. is recuperauit omnia quæ Albanus occuparat, & iam in Campaniam tendit via Appia. Andreas Doria eſt mortuus. Agitur de transactione inter Florentinum & Regem noſtrum. Veneti nauarunt ſtrenuam operam Pontifici in committendis iſtis principibus. ſed cum videant tantis viribus hoc bellum geri, & agi de ſumma rerum in Italia, ac Pontificem recipere in ſuas munitiones præſidia Gallica, (nam ipſi etiam arci S. Angeli filium Conneſtabilis præfecit) iam hoc agunt, vt iſtos motus componant: quod non puto eos facile effecturos, cum præſertim vtramque partem valde offenderint iſta ſua minus obſcura ſapientia. Bene vale, Idibus Aprilis MDLVII.

V.

CLariſſime Domine: Cum Adrianus Turnebus

s litteras tuas legiſſet, is mihi prolixe ſua
ia detulit & me humaniſſime ad amici-
inuitauit. Sed tamen hactenus non
tum ſum vſus eius conſuetudine, tum pro-
valetudinem qua non ſatis firma vtitur,
propter ingentem dolorem, quem percepi
cerbiſſimo nuncio de morte ſanctiſſimi
tri ſenis Philippi, qui tantus eſt ut nulla re
luctu delecter, & omnium hominum
ntum in me eſt conſuetudinem refugiam.
breui tamen colloquio cum Turnebo a-
naduerti eum ſic de te ſentire, vt nullum ho-
nem pluris faciat. Diligenter me percon-
us eſt de ætate, valetudine, ac tota familia, &
ſus eſt mihi valde cupere tibi gratificari.
am ei gemens mortem Philippi indicarem,
ſus eſt mihi conſternari; vbi autem paulu-
m ſe collegiſſet, conatus eſt famam illam
euare, & mihi perſuadere eam non eſſe ve-
am. Hujus ſcholæ ſtatum poteris cogno-
cere ex eo cui has ad te litteras dedi. Natus
ſt in Tranſſylvania nobili loco, & non parum
profecit in litteris bonis. Huc mecum venit
VVittemberga, vbi aliquandiu vixit cum tuo
genero. Hic omnia plena ſunt ſuſpicionibus.
fremit populus, & hoc intelligunt guberna-
tores, adhibentque omnem cautionem, ne cui
motui præbeant occaſionem, & propterea di-
cuntur bellum Scoticum compoſuiſſe. quibus
autem conditionibus id ſit factum, nondum
 ſcio

ſcio. Regis Philippi claſſis obſidet Tripolim Africæ, quam Melitenſibus Turcæ eripuerunt ante octennium. Deus conſeruet te & tuos. Lutetiæ, IIX Cal. Iunii MDLX.

VI.

Noſtri Epiſcopi dum ſuis odiis indulgent, & hoc agunt potius vt aduerſarios lædant quam vt ſibi conſulant, coniiciunt ſe in non dubiam perniciem, quam facillimo negotio vitare potuiſſent. Sed puto Deum velle in ipſis vindicare effuſum innocentium ſanguinem, cum eos tanta cæcitate puniat, vt non videant ea quæ nemo ignorat: cum tamen inter ipſos ſint aliqui eruditi & rerum humanarum peritiſſimi. Jam ſoluitur ipſorum conuentus, in quo tantum ſunt nugati; ſed breui conſcriptos ab eis canones videbimus, in quos tamen audio aliquos ex ipſis nolle conſentire. Edicto regio iubentur ire in ſuos epiſcopatus, in quibus vix credo eos fore tutos, cum ne quidem præfectis regiis iam obtemperet populus. In hac vrbe ſunt initia magnarum ſeditionum, & ante biduum fuerunt multi vulnerati & aliquot interfecti. Sed audio Regem conuocare nobilitatem vicinarum prouinciarum, vt eam huc mittat præſidio. Euangelici conſtituerunt occupare templa, ſicut factum eſt in plerisque Galliæ vrbibus, & ſæpe conueniunt magno numero, quæ res præbet occaſionem iſtis tumultibus. Martyr, Beza, & collegæ co-

eorum ſunt adhuc in aula, & cum videant epiſcopos ad nullas æquas conditiones velle deſcendere, petunt ſuis concedi templa: ſed fere nihil petunt quod non iam habeant. Godefridus reliqua tibi indicabit. Mitto decreta recens facta, quæ multum detrahunt Romano Pontifici. Curaui vt Baro Vngnadius hic aliquid mutuæ pecuniæ acciperet, cum iam in patriam eſſet diſceſſurus: eam pecuniam promiſit ſe ex patria ad te miſſurum; ſi mittat, peto ne graueris eam apud te ſeruare. Bene & feliciter vale. Superioribus litteris meis ſcripſeram, quam humaniter me acceperit dominus Lazarus Svvendenius. Lutetiæ, Idibus Octobris MDLXI.

VII.

Hactenus de triſtiſſimis calamitatib9 miſerrimæ noſtræ patriæ nihil ſcripſi, quia ſciebam hic eſſe plurimos ex tuis amicis, qui de iis rebus certiſſima quotidie ad te ſcriberent. Iam proficiſcor Argentoratum, vbi ſi per aliquot menſes hæſero, vt ſpero, ſcribam ad te quandocunque dabitur occaſio. Quæ huc perſcripta ſunt ante diſceſſum Principum, indicauit tibi dominus Doctor Crammius. Hic confirmatur fama de conflictu, in quo fuerunt ſuperiores Condenſes, ſed tamen ſine certis circumſtantiis, nec puto eſſe pugnatum totis copiis. Certum eſt, Condæum eſſe cum exercitu ad Lutetiam, & occupaſſe omnes vrbes quæ ſunt inter

Ligerim & Sequanam, Aureliam verſus. Audio agi de pace, ſed vix audeo eam ſperare. eſt tamen impoſſibile alterutram partem opprimi ſine certiſſima ipſius regni pernicie. quæcunque enim pars ſuis rebus diffidere incipiet, accerſet externos, eiſque tradet quidquid habebit in ſua poteſtate. Hiſpani iam ſunt parati & intenti in omnes occaſiones. Angli magna diligentia ſe inſtruunt pecunia & aliis rebus ad bellum gerendum neceſſariis. Peto ut domino Doctori Crammio indices, Portanum ad eum miſſurum orationem quam Tridenti habuit Cardinalis Lotharingicus; nondum autem eam deſcripſit. Bene & feliciter vale. Francofurti, quarto d. Dec. MDLXII.

VIII.

FUit mihi gratiſſimum ex tuis litteris intelligere, tuum filium tui ſimillimum tibi & honeſtiſſimæ matri eſſe redditum. puto nihil iam vobis tam graue accidere poſſe, quod non leniat ejus præſentia. Scis pugnatum eſſe in Gallia decima nona ſuperioris menſis, & ita pugnatum vt neutra pars ſit potita plena victoria, cum vtriusque exercitus ſummus dux ſit captus. Ex peditatu Germanico Condæi ii ſoli pugnarunt qui in hac Germania ſunt conſcripti. Saxones mille trecenti ſe initio pugnæ hoſti dediderunt. equitatus Germanicus fortiſſime pugnauit. Guiſius dicit ſe victorem, quia cum prælium diremtum ſit nocte ſuperuenien-

nte, manſit eo loco in quo Condenſes eum
ſerant. poſtridie tamen cum audiuiſſet
ralium redire inſtructa acie, recepit ſe in
m munitiorem & pugnam detrectauit.
um eſt triplo plures ex Regio exercitu in-
ectos eſſe quam ex Condenſi. Maxime il-
res qui ex Regio exercitu perierunt, ſunt
eſchallus a Sancto Andrea & Monbrun fi-
Conneſtabilis, adoleſcens ſummæ ſpei &
quis filiis longe charior patri, ante cuius
es fortiter pugnans cecidit. Eum ſibi dele-
e generum dicebatur Santandreanus, qui
uit filiam vnicam hæredem omnium bo-
rum Tam graui vulnere puniuit Deus inſa-
am illius infelicis ſenis. Dux Niuernenſis
Cliuenſi familia vulneratus in pugna poſtea
riit ex vulnere. Vereor ne in Gallia intereat
a familia, quæ maximas opes ibi habet. Super-
t enim ex ea vnicus adoleſcens admodum va-
tudinarius. Regina videtur iam cogitare de
ecuperanda libertate & auctoritate, nam ſta-
im poſt pugnam, inconſulto Guiſio, dignitates
& præfecturas eorum qui interierant contulit
hominibus qui valent auctoritate: & ſunt Gui-
ſiis minime addicti, vt ſe eorum benevolentia
muniret. Quoniam autem ſciebat Lutetiam
eſſe valde addictam Guiſio, recepit ſe inde in
vrbem Carnutum, & curauit Regem eo dedu-
ci: hoc nimirum prætextu, quod diceret ibi
poſſe commodius agi de pace, eo quod minus

procul inde abſit Aurelia. Non dubito perturbatas eſſe rationes Guiſii, amiſſo Conneſtabile & Santandreano, & fratre Cardinale abſente: nam ii tres præerant conſiliis, ipſe vero rei militaris curam in ſe receperat. Non tamen propterea demittit animum: nam dicitur cum exercitu propius ad noſtros acceſſiſſe, cum audiuiſſet, Anglos conari ſe illis coniungere; ita vt verendum ſit ne denuo confligant. Dicitur autem Regina profecta ad Guiſium vt hoc impediat, & ſecum duxiſſe Condæum, vt poſſint inter ſe colloqui & coram de pace agere. Iſtius rei euentus eſt in manu Dei: interea tamen illa miſera mulier nihil non facit, vt funeſtum illud bellum componat. Puto tibi non fore ingratum intelligere, quaſnam dignitates & præfecturas recens contulerit. Scis in regno Galliæ poſt Conneſtabilem quatuor Mareſchallos eſſe ſummæ auctoritatis in iis quæ ad rem militarem pertinent. Vnus ex illis mortuus eſt ante octo menſes. De ea dignitate cum inter ſe certarent Nauarrus, Guiſius, & Conneſtabilis, & ipſorum quilibet cuperet eam conferri alicui ſibi addicto, Regina rem arte diſtulit. Suaſit enim, ne quid de tanta re conſtitueretur ante hujus belli exitum. Statim autem poſt pugnam contulit eam, & alteram quæ fuit Santandreani in pugna interfecti Bordillono, qui fuit miſſus a rege Henrico orator ad poſtremum conuentum Auguſtanum, & Domino de Vieil-

euille præfecto Metenſi. Regnum Galliæ
tur in quatuordecim præfecturas, quas
lingua nominamus *gouvernemens*. Ea-
onge maxima eſt Aquitanica, in cujus
poſſeſſione a multis annis fuerunt reges
rræ. Eam itaque præfecturam Regina
ulit principi Nauarræ, puero nouem aut
m annorum: ita tamen vt quamdiu per æ-
n non poteſt eam adminiſtrare, habeat vi-
um Ducem de Montpenſier Borbonium.
dunenſem autem, quæ continet Aruer-
n & aliquot vicinas regiones, quam habe-
Santandreanus, dedit Principi de la Roche
yon fratri Ducis de Montpenſier. Aurelia-
iſem autem, quæ ſimul continet Bituriges,
im is princeps habuerat, dedit Duci de Ne-
nurs. Campaniæ autem, quæ fuit Niuernen-
, contulit Mareſchallo de Briſsac, antequam
am ipſe Niuernenſis moreretur. Sciebat
im eam Guiſios valde expetere, eo quod in
habent magnas opes, & attingit Lotharin-
am, & per eam introducitur miles Germani-
is, & propterea eſt magni momenti, ſicut &
eliquæ omnes quæ ſunt in limitibus regni, &
ræſertim iis partibus in quibus ſolet bellum
geri. Nullus autem ex iis quos recenſui fuit
vnquam valde addictus Guiſiis, excepto Duce
de Nemours, qui tamen iam dicitur de ipſis
conqueri, eo quod in ipſorum gratiam ſuſcepe-
rit graues inimicitias cum multis, cum maxi-

mo ſuo incommodo, nec tamen expertus ſit eos admodum gratos. Volui tibi indicare cauſſas quæ faciunt vt ſuſpicer, Reginam cogitare de labefactanda Guiſiorum potentia. nam Nauarro, Conneſtabile, & Santandreano caſtigatis, iam ſoli in Gallia ſupereſſe videntur qui aliquid ſupra leges poſſint. Tu pro tua humanitate iſtas meas ineptias boni conſules. Editus eſt nuper commentarius Cuiacii in tres poſteriores libros Codicis Juſtiniani, quem niſi eſſet maior quam vt tabellario tradi poſſit, ad te miſiſſem. cum enim explicet multa quæ nemo antea propter obſcuritatem auſus fuit attingere, & ii libri contineant formam illius imperii, vel potius aulæ imperatoriæ, quæ fuit ab anno fere trecenteſimo a Chriſto nato ad quingenteſimum, ſpero in eo eſſe nonnulla quæ te delectare poſſint. ipſe enim Cuiacius iam eſt magnum nomen conſecutus in Gallia ob eruditionem; ſed tu omnium optime de ea re iudicabis, vbi aliquid eius legeris. Bene & feliciter vale. Marbachius multum faceſſit negotii Sturmio, Zanchio, apud quem viuo, & aliis bonis & doctis viris. Peto vt meo nomine reuerenter ſalutes clariſſimum dominum D. Crammium. Mitto calendarium Noſtradami mihi ab amico donatum, ſed quod puto adulterinum, & a typographo lucri cupido confictum. Argentorati, Calend. Febr. MDLXIII.

IX.

IX.

e biennium, vt noſti, tua commendatio-
: innotui ampliſſimo viro domino Laza-
cuuenden. Is poſt longum ſermonem de
ione in religione, quæ tunc in Gallia in-
batur, dixit: Regi Nauarræ, qui tunc ſe du-
ioſtris præbebat, & ingenium & pruden-
ad tantam rem defuturam; ſed tum de-
procesſuram eam mutationem, cum Rex
o ære alieno oppreſſus poterit per ætatem
ligere, quanta ſit ſuauitas bonorum eccle-
corum. Eius viri iuuat meminiſſe, tum
ter ipſius virtutem & candorem (nam nu-
Francofordiæ ſolus fere in hac noſtra cauſ-
atrocinatus eſt innocentiæ & æquitati ad-
ſus multorum calumnias & inſcitiam) tum
a video propemodum ea euenire quæ mihi
edixerat; ex iisdem quidem cauſſis, ſed mu-
is tantum perſonis. Factum eſt enim hic de-
ctum, reclamante Pontifice & omnibus Ec-
eſiaſticis, quo permittitur Regi, vt ex bonis
cleſiaſticis, diuendat reditus annuos centum
illium coronatorum. Qui ejusmodi fun-
os emunt, etiamſi noſtræ religioni aduerſen-
ur, nolunt nos in contentione de religione
lane ſuccumbere: ne nobis oppreſſis, Eccle-
iaſtici eos fundos ab ipſis repetant. Ego etiam
exiſtimo eos qui iam rerum potiuntur, neu-
tram partem velle plane opprimi, ne pars vi-
ctrix ipſis leges præſcribat. Meminerunt
quan-

quanta fuerit Guiſiorum impotentia, dum fortuna ipſis fauit, & eſt adhuc ipſis ſuſpectum ingenium Cardinalis Lotharingici, eiusque opes, clientelas, & communicationem conſiliorum cum principibus exteris metuunt. Itaque Deus vtitur noſtrorum aduerſariorum ambitione ad noſtram ſalutem. Quod ſi ad nos oppugnandos conſentirent, nullo modo ipſis pares eſſe poſſemus. nam hoc præterito bello valde ſunt acciſæ vires noſtrorum, & quod eſt miſerrimum, videntur plane exuiſſe illam manſuetudinem & modeſtiam, quæ omnium animos nobis conciliabat. Plerique etiam vt ſolet fieri, de cauſſis ex euentu iudicant. Mihi ſane videtur huius regionis ſtatus non abſimilis eſſe ei, qui fuit Romæ poſt interfectum Iulium: ſed noſtri in eo cautiores fuerunt, quod tyrannum ſuſtulerunt antequam res ſuas conſtitueret. Potentiores vrbes nondum arma depoſuerunt, ſed vtcunque quieſcunt, & videntur de ferocia multum remiſiſſe. Hoc autem ſummo ſtudio agunt ii qui gubernationi præſunt, vt regnum ſuæ tranquillitati reſtituant, & portum nouum, quem obtinent Angli, recipiant. Fiunt ad eam rem magni apparatus. nec Angli ſibi deſunt: abundant enim bombardis & aliis rebus ad bellum neceſſariis. Vt vno verbo dicam, omnia ſunt hic incertiſſima, nec poſſum quidquam lætum de republica ſcribere, niſi quod Deus miſertus afflictiſſimæ plebis, tan-

tam

opiam frugum nobis hoc anno largitus uantam nunquam ſe vidiſſe omnes ſenes tur: quod niſi accidiſſet, maxima pars oris plebis videbatur fame moritura. a plane iacent, nec eſt quod de eis ſcri- Deus conſeruet te & tuam familiam, cui ia fauſta & felicia precor. Lutetiæ, XIV Aug. MDLXIII.

X.

quis ante annum mihi dixiſſet, fore hoc empore in Gallia eum ſtatum quem iam vi- , ego nimis læta & incredibilia mihi nun- ri exiſtimaſſem. Nam licet adhuc in mul- um animis hæreant odia factionum, non ta- n mihi videntur eſſe tanta, quin coniunctis imis pro patria ſint pugnaturi, ſi quis exter- s hoſtis eam inuadet. Hoc autem præ omni- s mihi placet, quod videam auctoritatem giam paulatim reuiuiſcere. Puto Conne- abilem quodam felici fato Galliæ reſerua- um in hoc tempore. nam ipſe experientia e- doctus, nec facile nec fere ſine Galliæ pernicie poſſe opprimi eos qui ſunt noſtræ religionis, ſummo ſtudio hoc agit, vt promiſſa nobis liber- tas in religione, & alia decreta pacis obſeruen- tur: quæ mihi videtur vnica ratio eſſe præci- dendi omnes occaſiones tumultuum. Proſcri- ptis noſtris, dignitas Amiralii collata fuit Dan- uillæ, ipſius Conneſtabilis filio, quam cum ex decreto pacis iuberetur reſtituere Amiralio, ne-

neſcio quæ aſperiora de eo dixit. Ea re ita patrem aduerſus ſe irritauit, vt interdixerit ei ſuis ædibus, & minatus ſit ſe eum exhæredaturum. Tempore huius funeſti belli, Hiſpanus prætextu affinitatis ſumſerat ſibi ius plurima hic præſcribendi. quia vero videt ſua imperia iam parum curari, & hoc agi per Conneſtabilem, vt huic regno priſtina dignitas & auctoritas reſtituatur, id ægre fert, & accuſat Conneſtabilem, tum quod fuerit auctor tam pudendæ pacis, tum quod ferat Amiralium & Andelotum hæreticos adeo pernicioſos, ac etiam eos foueat. Reſpondet Conneſtabilis, pacem fuiſſe omnino neceſſariam, & Hugenotos oſtendiſſe in iſto bello Normannico, ſe non eſſe minus paratos ad ſubeunda quæuis pericula pro Regis incolumitate & amplitudine, quam reliquos eius ſubditos. Quantum ad Amiralium & Andelotum attinet, Rex permittit ipſis ſuam religionem, quia oſtendunt, ſe nolle voluntati Regis contrauenire, cum præſertim ſciat ſibi opus eſſe talibus viris ad ſui regni defenſionem. Rex nuper declaratus eſt major Rothomagi. Per integram dimidiam horam hortatus eſt ſuos ad pacem & concordiam, multo majore animi præſentia & dignitate, quam quiſquam potuiſſet in ea ætate ſperare. Faxit Deus vt ejus gubernatio ſit fauſta & felix his afflictiſſimis regionibus. Bellum eſt nuper indictum Anglis, & tamen, omnes exteri milites dimittuntur. Petrus

Ramus ſcribit ad Rheticum contrahendæ
eo amicitiæ cauſſa. Si Rheticus forte re-
at, & litteras ad te mittat, peto ne graueris
uc per occaſionem transmittere. Ego ti-
toti familiæ tuæ omnia fauſta & felicia
or. Lutetiæ, IX. Cal. Septemb. MDLXIII.

XI.

ccepi litteras quas ad me Norimberga de-
diſti, paulo antequam veſtra Franconia in-
ret in iſtas calamitates, quas non dubito ti-
mmum dolorem afferre. Miſerum eſt &
e pudendum, in tanto imperio licere cuili-
impune turbare publicam tranquillta-
, & eos qui rerum potiuntur, aut nolle, aut
n poſſe aliquot latronum furorem & auda-
m compeſcere. Auertat Deus a Germania
mala, quæ hic ſenſimus: quæ multo triſtiora
erunt quam quiſquam credere poſſit, qui
n fuerit eorum ſpectator, quorum vtinam
ſet finis. Non tamen hæc ideo dico quod
ale ſperem: vix enim credo quenquam, qui
tius triſtiſſimæ tragœdiæ pars fuerit, adeo
rreo eſſe animo, vt non velit potius aliquid
e ſuo iure patriæ condonare, quam incendium
umma Dei benignitate ſopitum denuo exci-
are: verum in rebus quæ tantum ſecum peri-
uli trahunt, nihil non eſt metuendum. His
diebus venerunt ex Anglia legati acturi de pa-
ce, aut ſaltem de induciis: nec puto eos inanes
in patriam reuerſuros, cum neceſſitas vtram-
que

que gentem adigat ad aliquid remittendum de iracundia. Vxor Ducis Lotharingiæ, quæ (vt exiſtimo) nondum compleuit annum decimum ſextum, his diebus enixa eſt filiolum. Ea res peperit ſummam lætitiam toti huic aulæ, & præcipue Reginæ auiæ infantuli: cum præſertim videatur tollere eam famam, quæ de aduerſa valetudine liberorum ipſius ſparſa eſt a morte regis Franciſci. Ex quo arma ſunt ademta huic vrbi, omnia videntur pacatiora. Ego omnia fauſta ac felicia a Deo precor eximio iuuenii Philippo filio tuo proficiſcenti in Italiam; ſed mallem eum ad nos veniſſe: nam hic iam pulchre incipiunt reſtitui ſtudia, & Biturigibus docent clari Iuriſconſulti, Cuiacius, Donellus, Contius, Rouſardus, & alii. Minoris potuiſſet hic viuere, & vtilior fuiſſet ei cognitio linguæ Gallicæ quam Italicæ, & forte aliquid potuiſſemus ei officii præſtare. Deus conſeruet te & totam tuam familiam, quam cupio meis verbis ſalutari, & præſertim dominum Doctorem Ioachimum filium. Lutetiæ, Idibus Nou. MDLXIII. Mitto edicta de pace.

XII.

Res Gallicæ iam nō eſſent malo loco, ſi compoſita eſſet controuerſia inter Guiſios & Caſtilionæos: de qua tamen componenda ſedulo agitur, & præcipue per Conneſtabilem. Amiralius nuper venit in aulam, ac etiam in hanc vrbem. Cum ei metueretur, ſtatim factus eſt

huc

gnus concurſus Nobilitatis noſtræ reli- omnia tamen hactenus fuerunt ſatis lla. Pontifex Romanus vocauit Regi- uarræ Romam ad cauſſam dicendam,& eniat intra ſex menſes, proſcribit eam, ditiones primo occupanti concedit. retum eſt in Conſilio Gallico, vt Rex enſionem ſuſcipiat, ſiue Pontifex, ſiue lius aliquid aduerſus eam tentet. Pon- am excommunicauit Cardinalem Ca- um, & aliquot Epiſcopos Gallicos. fulmina iam parum metuuntur: nam m excommunicarunt Pontificem, & xerunt, Pontificem non plus habere pſos, quam ipſi habeant in eum. Gu- es iam incipiunt adjicere animum ad das tabulas iſtius ſæui naufragii, & ndam rempublicam. Exauctorantur lites, & ſeueriora judicia exercentur ratus, quorum malitia aucti ſunt tu- Bene & feliciter vale. Hæc ſcripſi val- rans. Lutetiæ, Cal. Dec. MDLXIII,

XIII.

iratus ſum, quo conſilio fiat a Germa- ncipibus, vt fere omnes militaris rei deponant, cum tamen ſciant ſe impe- inibus ferocibus & ad arma natis. potentiam & auctoritatem amittent, nt; eaque tota ipſis inſcientibus de- ad eos, qui ſe præbent duces militi-

bus

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

bus: qui iam arte res eo deduxerunt, vt ipſi Germanici principes vix poſſint ſine eorum opera conſcribere exercitum. Si quis diligenter conſideret, qualis fuerit ſtatus Italiæ ante centum annos, videbit eam talibus fere artibus periiſſe. Nam principibus otio & voluptatibus, ciuibus autem mercaturæ ſe dedentibus, totam rei militaris auctoritatem in ſe transtulerunt præfecti militum: quam cum viderent ſe non poſſe tueri niſi rebus turbatis, variis artibus principes & ciuitates inter ſe commiſerunt, & bella ex bellis ſerentes, & prout rebus ſuis conducere exiſtimabant impudenter ab vna parte ad alteram deficientes ac inter ſe conſpirantes, tandem perfecerunt vt ſoli eſſent pacis & belli arbitri in Italia. Vbi vero eiuſmodi artibus ita attritæ fuerunt opes Italiæ, vt iam non ſufficerent eorum cupiditatibus, demum adiunxerunt ſe exteris gentibus eam inuadentibus, a quibus & ipſi & eorum poſteri ſunt oppreſſi, & patria in eam ſeruitutem redacta eſt, qua iam miſerrime premitur. Ego præcipuam meæ ætatis partem in Germania contriui, in eoque fui felix, quod multorum præſtantium virorum conſuetudine, beneuolentia, & beneficiis nullo meo merito in ea mihi frui licuerit. Quare ita ſum affectus, vt ei non minus bene cupiam ac metuam, quam ipſi patriæ, quæ ſæpe minus benigna erga me fuit. Forte is amor efficit, vt non metuenda me-

n, quod vtinam ſit verum! ſed tamen
mnibus, qui ratione potius quam affe-
res metiuntur, non paruum metum in-
audaciam eorum, qui nobiliſſimam
niæ vrbem nuper diripuerunt. Quid
rodeſt eos eſſe proſcriptos, cum viuant
nania, & terrorem incutiant iis quos
iuria affecerunt, nec (vt audio) ipſis
autores non paruæ auctoritatis. Non
qui eadem, & forte vlteriora, poſthac
ſi hoc iſti impune ferant. Orandus eſt
veſtra mala mitiget, ſicut & noſtra vt-
mitigauit, quæ majora fuerunt quam
m credere poſſit, qui non fuerit eorum
r. Nullam enim puto gentem, quan-
eram, tanta vnquam rabie & inſania in
rniciem ruiſſe, quanta noſtra proximo
t: & tamen Dei beneficio omnia iam
tranquilla, & quotidie meliora ſpera-
am tempus ipſum videtur lenire Pon-
m erga nos odium & acerbitatem;
, vt exiſtimo, intelligunt noſtros non
le opprimi poſſe vt ipſi antea ſibi per-
. Expulſis ex Normannia Anglis,
æ ſe tulerunt ſe velle cædem fratris
& huc venerunt ſtipati frequenti no-
uæ factionis. Id vbi reſciuerunt ii
noſtræ religionis, tanto numero ad
m & in hanc vrbem confluxerunt, vt
ſariis & huic vrbi terrorem incute-
rent:

rent: nam tunc temporis Amiralius habuit apud ſe plures quam bis mille equites, qui tamen ita ſe geſſerunt, vt nemo ſit queſtus ſe ab ipſis affectum eſſe iniuria. Sub initium hiemis rurſus Pontificii conuenerunt magno numero in hanc vrbem, & conati ſunt impedire aduentum Amiralii in aulam; ſed ille nihil ea re territus, venit huc ſtipatus octingentis aut mille equitibus, hicque per aliquot menſes hæſit, fremente huius vrbis populo. Quamuis tunc animaduerterent Pontificii nihil ſuorum conſiliorum ſuccedere, non tamen propterea deſpondebant animum: nam exiſtimabant reditum Cardinalis Lotharingici ex Italia facturum magnam rerum mutationem; ſed iam prorſus exciderunt ea ſpe. Cum enim nup r in aula ageret cauſſam Tridentini concilii, eſt ita acceptus, vt ſtatim inde Rhemos abierit, vbi iam concionatur. Itaque Guiſii, a quibus putabatur multum periculi noſtris impendere, videntur redacti in ordinem. Quod non ideo dico vt ipſis inſultem: nam iudico Aumalium & fratrem ejus Marchionem eſſe fortes & bonos viros, & qui eſſe poſſint vſui reipublicæ: nec dubito Guiſium mortuum fuiſſe virum præſtantiſſimum, qui vtinam ſecutus eſſet moderatiora conſilia. Verum vt nihil diſſimulem, malo præcipuam auctoritatem in republica eſſe penes eos, quos video publicæ tranquillitatis eſſe ſtudioſos, & cauere ne imbecilliores a

poten-

potentioribus opprimantur. Cardinalis Lotharingicus reuerſus Tridento egit vt Concilii decreta a Rege approbarentur, ſed in ea re paucos habuit ſuffragatores. nam non ſolum ſe oppoſuerunt ii qui ſunt noſtræ religionis, ſed etiam qui ex parlamento in aulam erant ob eam rem accerſiti: qui tamen antea ipſi Cardinali erant addictiſſimi. Nondum compoſitum eſt bellum inter noſtros & Anglos, nec tamen geritur magnis viribus. agitur iam de pace, non ſine ſpe. Rex eſt in arce Fontainebleau, quæ hinc diſtat vnius diei itinere. Studia hic paulatim reſtituuntur. fit magnus concurſus ad Ramum, qui ad artes dicendi rediit: longe mallem eum audire, quam eius ſcripta legere. Excuditur hic, vt audio, liber obſeruationum Turnebi. His diebus primum accepi tuas litteras: pro quibus & pro elegantiſſimis verſibus ago tibi ſummas gratias. Commendo tibi nobilem iuuenem, qui has literas tibi reddet. conſtituit aliquandiu iſthic viuere. Ego omnia fauſta & felicia precor tibi & tuæ familiæ. Lutetiæ, pridie Non. Mart. MDLXIV.

XIV.

Quoniam is, qui mihi mandauit, vt de filio tecum agerem, petit vt hoc proximo mercatu Francofurtenſi aliquid de tua voluntate ipſi ſignificarem, ſcribo ad eum, me cum Lipſiæ iter facerem, eius rei apud te mentionem feciſſe, & quantum ex verbis tuis coniicere liceat, me

ſperate id tibi poſſe perſuaderi. non potuiſſ
autem negotium confici eo quod iam mih
præter exſpectationem ſit eundum Viennam
ſed ſtatim vbi in has regiones rediero, m
omnino hoc acturum, vt aliquid certi de ea r
conſtituatur. Si hæc tibi non placent, poteri
ex faſciculo, quem ad te mitto, eximere litte
ras quas ad ipſum ſcribo. earum inſcriptio e
a Monſieur le Preſident de la Place. Si no
diſplicent, oro vt Ludouicus tradat faſciculu
veſtris bibliopolis proficiſcentibus Francofu
tum. Bene & feliciter vale. Dreſdæ, VI Id
Aug. MDLXIV.

XV.

Reuerſurus in patriam nolui prætermitte
quin te in ipſo diſceſſu ſalutarē, & agere
gratias pro illa eximia humanitate, qua tu
tui erga me perpetuo vſi eſtis. Quamuis n
gotium de Ludouico filio confectum eſſe cr
dam, (nam ſcripſi te miſſurum eum Lutetia
ſub initium veris) vbi tamen eo venero, ce
tius illud conficiam, & de ea re ad te ſcriba
Francofurti adiungat ſe comitem Andre
VVechelo typographo, cuius hoſpitio vti ſ
leo, & ad eum diuertat Lutetiæ. Si tunc Lut
tia abfuero, curabo tamen vt a VVechelo pr
ſtentur ei illa officia, quæ ſcio eſſe neceſſari
& pecunia ſuppeditetur quandocunque erit
opus, & ad Præſidem Plateanum deducatu
In prima ſtatim adoleſcentia cœpi legere l
br

Digitized by Google

bros qui continent diſputationes de religione: cumque initio ſine delectu auide perlegerem quidquid mihi offerebatur, & aliquot annos in eare continuiſſem, cœpi eſſe valde perturba o animo: & quamuis multa inepta legerem, nulla re tamen magis offendebar, quam quorundam acerbitate in diſputando. Sub annum autem Domini MDXLVII quidam Germanus donauit mihi in Italia Locos communes domini præceptoris Philippi: quos vno anno quater aut quinquies perlegi, cum tamen interea peregrinarer. Ii tanquam filum Ariadnes fuerunt mihi variis labirinthis involuto: cœpique ab eo tempore eum virum tanti facere, vt iudicarem reliquos indulgere ſuis affectibus, iſtum ſolum quærere quid ſit verum & pium. Sed quia legeram Lutheri & Heluetiorum concertationes de cœna Domini, ibi adhuc hærebam: nam videbatur mihi dominus Philippus non ita dilucide eum nodum ſoluere vt reliqua. Conſtitui itaque ad eum accedere, vt eius ſententiam de ea re& aliis quibuſdam exquirerem. cumque ad eum veniſſem anno Domini MDXLIX, ab eo tempore vſque ad ipſius mortem plerumque apud ipſum vixi: nec ſcio an in vllum alium tot beneficia, quot in me, contulerit; cum me in conuictu habuerit, & omnium peregrinationum comitem aſciverit. Eius temporis, quod apud ipſum fui, recordatio eſt mihi ita grata, vt pene mihi nducat oblivionem earum calamitatum, in

quibus reliquum tempus transegi, & adhuc tranſigo. Cum natura fuerit admodum beneficus, vix tamen eius vitam deſcribens poteris inſignius exemplum beneficentiæ eius proferre quam me. Minus enim mirum eſt, eum fuiſſe erga ſuos homines beneficum; ego vero ad eum acceſſi peregrinus & ignotus, nulla re præterquam miſeriis commendandus: & tamen non vno menſe aut anno, ſed quamdiu vixit, eius ſummam erga me beneficentiam, & (vt exiſtimo) beneuolentiam ſum expertus. Si eius rei vno verbo in vita eius mentionem faceres, putarem mihi apud omnes bonos glorioſum fore, quod tibi & ipſi nomen meum ſaltem non fuerit ignotum. ſed peto vt in ea re ſtultitiæ meæ ignoſcas. De rebus publicis nihil habeo quod ſcribam: niſi quod nudius tertius, cum eſſem apud Paulum Prætorium in Salinis, audiui ex eo, hoc agi, vt Maximiliano tradatur adminiſtratio Epiſcopatuum Franconiæ, ea conditione, vt certum quid annuum Epiſcopis pendat; ſed hoc mihi non videtur veriſimile: eſſet enim initium certiſſimæ mutationis in Imperio. Deus conſeruet te & tuos, quos peto vt meo nomine ſalutes. Lipſiæ, octauo Calend. Nouembr. MDLXIV. Spero me venturum ad proximum Imperii conuentum.

XVI.

IS cuius nomine tecum egi, vbi huc redii, ſigni-

ſignificauit mihi, ſe habere pro magno beneficio, quod id a te impetraſſem quod impetraueram. Poſtquam vero hic tumultuatum eſt aduerſus Cardinalem Lotharingicum, & noſtri duce Amiralio venerunt in hanc vrbem tanto numero, vt viderentur eam in ſua poteſtate habere; cœpit iſte multa metuere, & ſecum de re, quam prius certam & conſtitutam habebat, deliberare. Quod ſane non miror eum tunc feciſſe: pauci enim fuerunt tunc temporis, qui non valde metuerent ne in ſuperiores turbas recideremus. Sed poſtea Amiralius iſtius metus cauſſas omnes ſua moderatione ſuſtulit. Ita ille bonus vir, cum hic omnia eſſent perturbatiſſima, animo æſtuans profectus eſt ad Condæum in Picardiam. Imminentia vero pericula hominum ſermonibus valde augebantur in aula Condæi: eo quod ipſe præ ſe ferret, ſe potius adhæſurum Cardinali Lotharingico, quam aut Montmorancio aut noſtris, ſi ad arma deueniretur. Ante paucos dies reuerſus a Condæo hic noſter, dixit mihi, ſe propter diuturnam ſuam abſentiam non potuiſſe parare ea, quæ ad profectionem filii pertinent: & quia iam inſtaret tempus, quo hinc Francofurtum eunt mercatores, petiit vt apud te hanc eius moram excuſarem. Ego indigne ferens id mihi non eſſe maturius ab eo indicatum, reſpondi, me non facile tibi perſuaſiſſe vt ipſi gratificareris in eo quod a me petierat, & te parum

quibus reliquum tempus tranſegi, & adhu
tranſigo. Cum natura fuerit admodum bene
ficus, vix tamen eius vitam deſcribens poter
inſignius exemplum beneficentiæ eius profe
re quam me. Minus enim mirum eſt, eum fuiſ
erga ſuos homines beneficum; ego vero a
eum acceſſi peregrinus & ignotus, nulla r
præterquam miſeriis commendandus: & tame
non vno menſe aut anno, ſed quamdiu vixi
eius ſummam erga me beneficentiam, & (v
exiſtimo) beneuolentiam ſum expertus. S
eius rei vno verbo in vita eius mentionem fa
ceres, putarem mihi apud omnes bonos glo
rioſum fore, quod tibi & ipſi nomen meum ſa
tem non fuerit ignotum. ſed peto vt in ea r
ſtultitiæ meæ ignoſcas. De rebus publicis ni
hil habeo quod ſcribam: niſi quod nudius ter
tius, cum eſſem apud Paulum Prætorium i
Salinis, audiui ex eo, hoc agi, vt Maximilian
tradatur adminiſtratio Epiſcopatuum Franco
niæ, ea conditione, vt certum quid annuum
Epiſcopis pendat; ſed hoc mihi non videtu
veriſimile: eſſet enim initium certiſſimæ mu
tationis in Imperio. Deus conſeruet te & tuos
quos peto vt meo nomine ſalutes. Lipſiæ
octauo Calend. Nouembr. MDLXIV. Spero
me venturum ad proximum Imperii con
uentum.

XVI.

IS cuius nomine tecum egi, vbi huc redi
ſigni

ſignificauit mihi, ſe habere pro magno beneficio, quod id a te impetraſſem quod impetraueram. Poſtquam vero hic tumultuatum eſt aduerſus Cardinalem Lotharingicum, & noſtri duce Amiralio venerunt in hanc vrbem tanto numero, vt viderentur eam in ſua poteſtate habere; cœpit iſte multa metuere, & ſecum de re, quam prius certam & conſtitutam habebat, deliberare. Quod ſane non miror eum tunc feciſſe: pauci enim fuerunt tunc temporis, qui non valde metuerent ne in ſuperiores turbas recideremus. Sed poſtea Amiralius iſtius metus cauſſas omnes ſua moderatione ſuſtulit. Ita ille bonus vir, cum hic omnia eſſent perturbatiſſima, animo æſtuans profectus eſt ad Condæum in Picardiam. Imminentia vero pericula hominum ſermonibus valde augebantur in aula Condæi: eo quod ipſe præ ſe ferret, ſe potius adhæſurum Cardinali Lotharingico, quam aut Montmorancio aut noſtris, ſi ad arma deueniretur. Ante paucos dies reuerſus a Condæo hic noſter, dixit mihi, ſe propter diuturnam ſuam abſentiam non potuiſſe parare ea, quæ ad profectionem filii pertinent: & quia iam inſtaret tempus, quo hinc Francofurtum eunt mercatores, petiit vt apud te hanc eius moram excuſarem. Ego indigne ferens id mihi non eſſe maturius ab eo indicatum, reſpondi, me non facile tibi perſuaſiſſe vt ipſi gratificareris in eo quod a me petierat, & te parum

Digitized by Google

curaturum, etiamſi filium non mittat; ſed hui
rei ineſſe hoc incommodi, quod miſſurus eſſe
filium Francofurtum, exiſtimans eum nihil d
ſententia mutaſſe. Quam habeat cauſſam iſtiu
noui conſilii, non poſſum ſatis coniicere. Ha
buit quidem aliquandiu iuſtam cauſſam me
tus, ſed iam Dei beneficio omnia mihi hic vi
dentur tranquilliora quam ante ipſum bellum
Sed forte noſtræ genti innata leuitas eſt eiu
rei cauſſa, habui tamen iſtum hactenus pro vi
ro graui. Scripſi nihilominus ad Ludouicum
ne propterea intermittat quin huc veniat: nan
non dubito hic eſſe multos qui auide acceptur
ſint talem conditionem, quandocunque ipſi
offeretur: ſed quia ante quatuor aut quinqu
dies tantum accepi reſponſum ab illo alterc
eam rem per temporis anguſtiam curare no
potui. Quod ſi tantum videndi cauſſa huc ve
niret Ludouicus, non tamen pœniteret eun
ſuſcepti itineris, nec parum eſſet vidiſſe han
vrbem & ipſum Belgium: nam VVechelus i
reditu iter facit Antuerpia. poſſet autem ſi hi
locus minus placeret, mecum redire in Ger
maniam. Quidquid ſit, ſi huc veniet dab
operam ne quid ipſi deſit etiam dum aberc
Puto Regem Galliæ iam eſſe Burdigalæ, ind
profecturus eſt Baionam, quæ eſt poſtrem
vrbs Galliæ ad Oceanum verſus Hiſpaniam
In eam vrbem dicitur ventura Regina Hiſpa
niæ cum ſplendidiſſimo comitatu. quidan
aiun

aiunt vna venturum Carolum Principem Hiſpaniarum. In reliqua Gallia nihil geritur magnopere dignum quod ſcribatur. Hæc ſchola paulatim ſuum ſplendorem recipit. contendunt inter ſe Turnebus & Ramus: hic Ariſtotelem oppugnat, alter defendit. Lambinus edit opera Ciceronis, in quibus quinquies aut ſexies mille locos emendaſſe dicitur. Huc a pluribus ex Italia ſcribitur, omnes eſſe admodum conſternatos metu claſſis Turcicæ, quam hic Solimannus inſtruit potentiorem, quam aut ipſe, aut quiſquam maiorum ipſius vnquam habuerit. Claſſis Hiſpanica eſt apud Carthaginem nouam, & eſt centum triremium. dicitur brevi nauigatura in Italiam. Mitto D. Joachimo filio tuo tabulas anatomicas æreis typis expreſſas, quæ tibi reddentur. Libellus gallicus in quarto tibi, vt ſpero, non diſplicebit. tractat de politia & præcipuis magiſtratibus regni Gallici, diligentius quam ii qui de talibus rebus antea ſcripſerunt. Deus conſeruet te & tuos. Lutetiæ, XI. Cal. April. MDLXV.

XVII.

Ludouicus filius tuus Dei beneficio peruenit ad nos incolumis, & adhuc recte valet. Cum aduenit, denuo factus erat magnus concurſus Nobilitatis in hanc vrbem, & metuebantur turbæ: ſed iam omnes ad ſua redierunt, nec eſt quidquam tumultus exortum, quamuis

habitæ ſunt conciones in ædibus Condæi principis, ad quas factus eſt maximus concurſus hominum. Condæum autem admonuit huius vrbis ſenatus, id fieri contra edictum pacis, in quō diſerte interdicitur, ne quid tale in hac vrbe fiat. Periculoſum eſt, armatos homines tam ſæpe conuenire, & tanto numero, & præſertim in hac ampliſſima vrbe, vbi ſunt homines variis modis affecti. Spero tamen vbi Rex in has regiones redierit, omnia fore in tuto. Is de cuius filio tecum egeram, eſt iam adeo trepidus vt vix audeat cum quoquam colloqui: nam nuper edidit ſcriptum, quo neſcio an recte ſibi conſuluerit. Cum viderem eum omnia metuere, non exiſtimaui vrgendum eſſe, & ob illud ſcriptum etiam mihi iam minus placebat ea conditio. Ludouicus eſt hic mecum apud VVechelum: dabo diligenter operam vt nihil ipſi deſit. De rebus noſtris non ſcribam prolixe, quia forte veniam ad te antequam litteræ meæ tibi reddantur. Hoc eſt maxime memorabile, quod aiunt Reginam Scotiæ nubere adoleſcenti ex Stuarta familia, qui eſt filius Comitis Lenigenſis. pater Reginæ & mater adoleſcentis fuerunt fratres vterini, nati videlicet ex Margaretha ſorore Henrici octaui Regis Angliæ, quæ mortuo Jacobo quarto Scotiæ Rege nupſit Archimbaldo Glaſcenſi. Non ſunt concordes Belgæ & Angli: & dicuntur detineri naues Anglicæ in Hiſpania, & quædam etiam

his

his diebus direptæ ab Hollandis. Breui conuenient Baionæ Rex Galliæ & Regina Hiſpaniæ. Sed hæc prolixius coram. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, Cal. Jun. MDLXV. Adrianus Turnebus pericoloſe decumbit.

XVIII.

Sperabam me ante reditum meum in Galliam ad vos venturum, & tui maxime videndi cauſſa & mandata ad filium Ludouicum accipiendi, id cupiebam. Sed præter exſpectationem accidit, vt iubear hinc recta Norimbergam contendere, vbi Deo dante ſalutabo dominum Doctorem Joachimum.] De Ludouico non eſt quod ſis ſollicitus, nam credo nihil ipſi defuturum apud VVechelum. Si proximo mercatu Francofurtenſi aliquid de rebus Hungaricis ſcripſeris, facies mihi rem pergratam. nam Schuendio metuo, cum dicatur Beglerbeius Græciæ in Hungariam cum viginti millibus equitum properare. ſolet apud Turcas eum magiſtratum gerere, qui omnium habetur peritiſſimus rei militaris. Turcæ occuparunt in Melite inſula arcem Sant Hermo, in qua quingentos ordinis illius equites, viros præſtantiſſimos, interfecerunt. iam obſident ipſam Melitem vrbem. Scribam ex itinere, quandocunque dabitur occaſio. Interea precor tibi & tuis omnia felicia, & oro Deum vt adſit Philippo. Hæc raptim inter pocula. Schnebergæ, pridie Calend. Aug. MDLXV.

XIX.

Gratiſſimum mihi fuit poſt multos annos videre Doctorem Joachimum ornatum iis virtutibus, quas eius indoles & tua educatio nobis dudum promiſerant. Coegit me ex publico diuerſorio in ſuas ædes migrare, & vt nullum humanitatis genus erga me prætermitteret, inuitauit ad ſe aliquot bonos & eruditos viros, vt haberem occaſionem contrahendæ cum ipſis amicitiæ; & præterea quæ mihi illic erant curanda ſumma diligentia per ſe & amicos curauit. Ego a te & a tuis obruor beneficiis, ſed minus pudet multa debere iis quibus innumeri debent. Nullus adhuc Germanus hactenus mihi fuit notus, qui tanta diligentia & tanto iudicio conſiderarit monumenta Romanæ antiquitatis & reliqua, ob quæ præcipue adeunda eſt Italia: cuius ipſe, & ego magnam partem Norimbergæ perluſtrauimus; quod quidem cum magna voluptate feciſſemus, niſi dolor de caſua Philippi fratris Romæ captiui ſæpius recurrens noſtram lætitiam interturbaſſet. Dominus Adrianus Voi, qui iam redit ex Italia, & vt exiſtimo, has litteras tibi reddet, narrat eum delatum eſſe ab Onuphrio Panuino, cuius nomen tibi non eſſe ignotum exiſtimo, nam certat cum Sigonio in explicatione Romanæ antiquitatis. ſed hæc ex ipſo Adriano poteris commodius cognoſcere. De rebus publicis hic plane nihil habemus certi. Exortus erat nuper tumul-

tumultus in Lotharingia inter Lotharingum Cardinalem & quendam Salcedum Hiſpanum: qui cum ab ipſo ſit euectus, ei tamen iam inſultat & ſuis actionibus prætexit nomen Regis Galliæ. vbi hæc reſciuit Rex Galliæ, iuſſit vtrumque arma deponere. Res Gallicæ ſunt pacatæ: quamuis ad Ligerim, & præſertim in vrbe Turonenſi, nuper tumultu populari ſint aliquot ex noſtris interfecti. Sed hæc nihil ad ſummam rerum. Deus conſeruet te & tuos. Argentorati, XIV Cal. Sept. MDLXV.

XX.

REperi hic Ludouicum Dei beneficio recte valentem, ſed adhuc ignarum fraternæ captiuitatis: quam vbi intellexit, ita eſt conſternatus vt aliquandiu non potuerit ſe colligere, licet ipſi affirmarem fratrem eſſe extra periculum. Ea autem diligentia ſuis ſtudiis incumbit, vt potius ſit monendus vt rationem valetudinis ſuæ habeat, quam incitandus, & (quod puto tibi fore gratiſſimum) eſt cariſſimus omnibus cum quibus eſt conuerſatus. Gallia eſt pacata, & vident Pontificii ſe excidiſſe ea ſpe quam maximam conceperant de conuentu Baionenſi. Si verum eſt, Melitem veniſſe in Turcarum poteſtatem, ſentient breui omnes Tyrrheni maris accolæ, quanto cum ſuo detrimento id ſit factum. Claſſis Hiſpanica centum & ſex triremium fuit ſpectatrix tantæ cladis ex

vicina Sicilia: & fuit ea inſania ducum, vt inter ſe de principatu certarint, interea dum ſocii pereunt. Reliqui Itali accuſant Venetos, quod ſubminiſtrent arma Turcis. Dux Sabaudiæ expellit ex ſua ditione habitatores conuallium Lucernæ & Angroniæ, quibus ante quatuor annos vendidit libertatem in religione, cum ab ipſis victus eſſet aliquot præliis. Sunt iſti VValdenſium reliquiæ, & a ducentis annis ſemper profeſſi ſunt eam religionem quam iam profitemur; nec impediuit, quo minus facerent, rex Galliæ interea dum eſt ibi dominatus. Cooptatus eſt in locum Turnebi quidam Peregrinus nomine, qui mihi eſt ignotus. Dicunt eum iam viuere in Italia, & eſſe virum doctum & nondum ſenem. Propero in aulam, quæ iam dicitur eſſe in Santonibus, & inde proficiſci in Britanniam Armoricam. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, III Non. Sept. MDLXV.

XXI.

RES Gallicæ ſunt vetere loco, hoc eſt, inter ſpem & metum. Rex tamen paulatim adoleſcens videtur eas reddere minus incertas, cum præſertim iam appareat non defuturum ipſi ingenium. Allocutus eſt me aliquoties, & eſt mihi viſus eius ſermo magis ſerius quam ab ea ætate ſperarem. Regina quæ rerum potitur, dat, prætermittit, & ad omnium voluntates ſe inflectit, ita tamen vt habenas e manibus

non

non dimittat. Quidam ex proceribus Scoticis, quorum duces fuerunt Hamiltonus Araniæ comes & Jacobus frater naturalis Reginæ, oppoſuerunt ſe nouo Regi, eo quod reduceret eos qui propter religionem exulabant; ſed profligati a Rege fugerunt in Angliam. Ipſa regina Angliæ eſt valde ſollicita de ſuis rebus, cum non ignoret ius quod Rex & Regina Scotiæ habeat ad regnum Angliæ, & ſciat in Anglia eſſe adhuc multos clam addictos religioni pontificiæ, & ſe in multorum odium incurriſſe eo quod ita euexerit Robertum Dudlæum. Vt aliquid habeat quod imminenti tempeſtati opponat, redit ad ſuas artes: nam denuo ſimulat ſe expetere nuptias Caroli Archiducis, quem depulſa tempeſtate faſtidiet, vt antea. Valde multi Angli a paucis menſibus venerunt in has regiones, ac etiam in inferiorem Germaniam, omnes addicti religioni pontificiæ. vereor ne quid aduerſus ſuam reginam moliantur. Sed de his rebus plura coram: nam forte veniam ad te antequam hæ litteræ tibi reddantur. Bene vale. Lutetiæ, XIV Cal. Decembr. MDLXV.

XXII.

Gratiſſimum mihi fuit audire, D. Philippum tandem ad vos rediiſſe ex captiuitate Romanæ inquiſitionis ſaluum & incolumem; cuius incolumitatis vos eo magis lætari exiſtimo,

mo quia omni fere de ea ſpe aliquando exciderátis: & profecto bene eſt cum eo actum, quod ſit liberatus antequam hic Papa adſumeretur ad Pontificatum, apud quem dicunt Caniſium plurimum valere auctoritate. Sed tamen non dubito quin iſtam veſtram lætitiam aliquantum interturbet mors noſtræ nurus honeſtiſſimæ mulieris, cuius ſummam humanitatem ſum expertus cum proxima æſtate facerem iter Norimberga. Spero me fore cum D. Joachimo IV aut V Martii: quare ſi quid per me vis ſignificare Ludouico, poteris intra illud tempus litteras ad D. Joachimum mittere. Cupio omnes iſthic, præter te, hanc meam profectionem ignorare, & habeo eius rei cauſſas. Venerunt mihi in mentem quædam verba Domini Philippi, quæ forte tibi non videbuntur indigna quæ narrationi de eius vita inſerantur. Scis mortem eius fere incidiſſe in tempus conſpirationis Ambroſianæ. Scripſi ad ipſum Francofurto, quo tunc eram profectus, de eius conſpirationis infelici & tragico exitu. Paulo antequam exſpiraret legit ipſi litteras meas Doctor Peucerus; quibus prælectis dixit Portano qui tunc aderat: Portane vides qualis ſit mea valetudo, ſed tamen maiorem dolorem ſentio ex calamitate Gallicarum eccleſiarum quam ex morbo. Dixit Ambroſius, ſe ideo maxime diligere Theodoſium, quod moriens de nulla re magis quam de ſalute eccleſiarum eſſet

ſet ſollicitus. Bene & feliciter vale. Opto pluſimam ſalutem domino Philippo filio, cui vtinam in aliqua re gratificari poſſem. De rebus publicis hic eſt altum ſilentium, præterquam de ingenti nauali apparatu Turcico, & de conſpiratione Veneta, cuius ſcribunt Itali Imperatorem non fuiſſe ignarum. Sed de hoc non dubito vobis eſſe notiora, præſertim ab aduentu D. Philippi. Dreſdæ, IX. Cal. Mart. MDLXVI.

XXIII.

TVrbatis rebus Belgicis nobis adimitur occaſio ſæpius ad vos ſcribendi, nam pauci hinc Norimbergam proficiſcuntur. Ortus eſt ante menſem tumultus in oppido Palmeria, quod abeſt a Toloſa vnius diei itinere. In eo tumultu noſtri interfecerunt ex pontificiis quadraginta aut quinquaginta, amiſſis tantum quinque aut ſex ſuis: cui tamen tumultui dicuntur cauſſam præbuiſſe pontificii. Periculum tunc fuit ne Toloſa vrbs potens & ſæua tumultuaretur: quod metuentes qui noſtram religionem profitentur inde diſceſſerunt tam multi, vt dicantur trium millium numerum excedere. Ex aula miſſi ſunt, qui de iis rebus cognoſcerent, & præciderent omnes cauſſas maiorum tumultuum: quod credo ab ipſis eſſe factum; nam audio Toloſates reuocare eos qui ex vrbe diſceſſerunt. Reliqua Gallia Dei beneficio ſatis bene habet, niſi quod eſt inaudita

dita annonæ carítas. nam homo non intemperans poteſt in panem & vinum vno die inſumere quinque aut ſex groſſos veſtræ monetæ. Verum ſolamur nos ſpe felicis prouentus huius anni, & iam dicitur multum imminutum pretium frumenti extra hanc vrbem : in hac vrbe vero primum hac ſeptimana cœpit nonnihil minui. De rebus Belgicis non ſcribo, quia quando litteras meas accipies, ſtatus ibi futurus eſt longe alius ab eo qui iam eſt. tanta fit indies mutatio; & præterea credo vos crebro inde litteras accipere. Regina Angliæ adhuc ſimulat ſe velle nubere Archiduci Carolo. Scotica peperit filium decima nona Junii paulo ante octauam matutinam. Putaui hic adſcribendum quod hodie primum ſciui, Amiralium fuiſſe vno die tantum maiorem Guiſio. fuerunt duo acerrimi viri totius Galliæ. vsque ad annum viceſimum quintum ætatis fuit ſumma inter ipſos coniunctio & beneuolentia. poſtea eſt orta ſimultas ex liberiore admonitione Amiralii ad Guiſium, quam ſecutæ ſunt grauiſſimæ inimicitiæ, quæ tandem eruperunt in ea mala quæ vidimus. Puto eos natos anno decimo octauo: inquiram de die natali vtriusque, & ad te mittam. Hæc ſcribenti veniebant in mentem Dux Mauritius & Marchio Albertus. Adoleſcens Guiſius iam proficiſcitur in Bauariam ſpe ducendi filiam Principis Bauarici. Ego omnia fauſta & felicia tibi

& tuis

&tuis a Deo precor. Ludouicus rectiſſime valet, & eſt omnibus cariſſimus. Lutetiæ, III Id. Julii MDLXVI.

XXIV.

PEr aliquot annos dedit hic operam litteris Comes Antonius filius vnicus Comitis Joachimi Ortemburgii exulis, adoleſcens tantal ingenii & morum ſuauitate, vt neſciam an vllum vnquam nouerim cum eo conferendum; nec dubito, ſi Deus ei longiorem vitam conceſſerit, quin in præſtantiſſimum virum euadat. Is ita complectitur Ludouicum filium tuum, vt nullius hominis conſuetudine ita delectetur. Hoc autem anno conſtituit viſere oppida quæ ſunt ad ripam Ligeris, ac etiam Pictonum & Santonum litora, vbi ſunt inſignes illæ ſalinæ, ex quibus Rex Galliæ habet ſua præcipua vectigalia. Inuitauit aliquoties Ludouicum ad illam peregrinationem; qui quamuis expeteret, non audebat tamen obſequi, veritus ne tale conſilium non probares. Verum cum adoleſcens id ſæpius repeteret, & quidem peramanter, ac oſtenderet ſe teneri magno eius deſiderio, Ludouico petenti a me conſilium non diſſuaſi ne ei obſequeretur: cum præſertim ſciam, præceptorem & nobilem adiunctos adoleſcenti eſſe viros doctos & moderatos & Ludouici amantiſſimos. Ea res ideo etiam minus habet incommodi, quia hoc anni tem-

omnia moderaturos; verum fertur equis auriga, & ſine dubio per hiemem multa ibi mouebuntur, cum præſertim iam pene ſit certum Regem manſurum in Hiſpania. Bene vale. Lutetiæ, X Cal. Nouemb. MDLXVI.

XXVI.

Quamuis omnia hic ſint tranquilla, fama tamen aduentus Regis Hiſpaniæ nos vtcunque ſollicitos reddit. Qualem ſucceſſum ipſi optent qui hic gubernant, ignoro; ſed tamen puto eos habere in animo ex euentu rerum ipſius de ſuis conſtituere. Ipſæ ſolæ belli ſuſpiciones inferiorem Germaniam euertunt, eo quod commercia impediant. Pulcherrimæ enim illæ vrbes & populoſiſſimæ conſtant ex mercatoribus & opificibus, & plerique mercatores negotiantur pecunia fœnori accepta, quod ſolet ibi eſſe grauiſſimum. Iam vero cum ibi ceſſent commercia, & mercatores non vtantur opera opificum, qui fere omnes in diem viuunt, miſeri homines non habent vnde ſe & ſuam familiam ſuſtentent, mercatores autem fœnore exhauriuntur. Itaque infinita illorum hominum multitudo coacta egeſtate iam patriam relinquit, & fere plures Germanos quam Gallos hic per plateas diſcurſantes videmus: quamuis audiam adhuc plures conſpici Rothomagi, & in reliquis vrbibus maritimis Normanniæ, ac etiam Londini in

Anglia. Quid autem fiet ſi ad arma deueniatur, & Hiſpani pro arbitrio leges præſcribant? Ego doleo vicem illius cultiſſimæ gentis, & quæ reliquas omnes nobis notas induſtria ſuperare videtur. Si Rex Hiſpaniæ nauiget in Italiam ante hiemem, quod omnes affirmant, & tamen ego non credo, cogetur hibernare Mediolani. Pontifex Romanus iam dicitur proficiſci Genuam vt eum ibi conueniat. Audio etiam miſſum Maſſiliam præfectum Gallicarum triremium, vt eum excipiat, ſi forte tempeſtate actus, aut alio caſu, appellat ad ea litora. Faxit Deus vt eius aduentus ſit fauſtus & ſalutaris, non ſolum ipſius ditionibus, ſed etiam toti orbi Chriſtiano: ſed cum ſit addictiſſimus Inquiſitioni Hiſpanicæ, Pontifici Romamano, & Cardinali Granuellano, vix aliquid moderati ab eo ſperare audeo, quamuis alias natura placidiſſimus eſſe videatur. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, Idibus Nouembribus MDLXVI.

XXVII.

TOta hac hieme ita me afflixerunt catarrhi, vt ſi vel paululum libro incumberem, non poteram poſtea ſine magno dolore caput attollere. Ea res fuit in cauſſa, vt ad vos minus crebro ſcriberem, quamuis fere nihil memorabile dudum hic accidit. Qui enim gubernant, ſunt in hoc ſerio intenti, vt omnes tumul-

XIX.

Gratiſſimum mihi fuit poſt multos annos videre Doctorem Joachimum ornatum iis virtutibus, quas eius indoles & tua educatio nobis dudum promiſerant. Coegit me ex publico diuerſorio in ſuas ædes migrare, & vt nullum humanitatis genus erga me prætermitteret, inuitauit ad ſe aliquot bonos & eruditos viros, vt haberem occaſionem contrahendæ cum ipſis amicitiæ; & præterea quæ mihi illic erant curanda ſumma diligentia per ſe & amicos curauit. Ego a te & a tuis obruor beneficiis, ſed minus pudet multa debere iis quibus innumeri debent. Nullus adhuc Germanus hactenus mihi fuit notus, qui tanta diligentia & tanto iudicio conſiderarit monumenta Romanæ antiquitatis & reliqua, ob quæ præcipue adeunda eſt Italia: cuius ipſe, & ego magnam partem Norimbergæ perluſtrauimus; quod quidem cum magna voluptate feciſſemus, niſi dolor de caſu a Philippi fratris Romæ captiui ſæpius recurrens noſtram lætitiam interturbaſſet. Dominus Adrianus Voi, qui iam redit ex Italia, & vt exiſtimo, has litteras tibi reddet, narrat eum delatum eſſe ab Onuphrio Panuino, cuius nomen tibi non eſſe ignotum exiſtimo, nam certat cum Sigonio in explicatione Romanæ antiquitatis. ſed hæc ex ipſo Adriano poteris commodius cognoſcere. De rebus publicis hic plane nihil habemus certi. Exortus erat nuper tumul-

tumultus in Lotharingia inter Lotharingum Cardinalem & quendam Salcedum Hiſpanum: qui cum ab ipſo ſit euectus, ei tamen iam inſultat & ſuis actionibus prætexit nomen Regis Galliæ. vbi hæc reſciuit Rex Galliæ, iuſſit vtrumque arma deponere. Res Gallicæ ſunt pacatæ: quamuis ad Ligerim, & præſertim in vrbe Turonenſi, nuper tumultu populari ſint aliquot ex noſtris interfecti. Sed hæc nihil ad ſummam rerum. Deus conſeruet te & tuos. Argentorati, XIV Cal. Sept. MDLXV.

XX.

REperi hic Ludouicum Dei beneficio recte valentem, ſed adhuc ignarum fraternæ captiuitatis: quam vbi intellexit, ita eſt conſternatus vt aliquandiu non potuerit ſe colligere, licet ipſi affirmarem fratrem eſſe extra periculum. Ea autem diligentia ſuis ſtudiis incumbit, vt potius ſit monendus vt rationem valetudinis ſuæ habeat, quam incitandus, & (quod puto tibi fore gratiſſimum) eſt cariſſimus omnibus cum quibus eſt conuerſatus. Gallia eſt pacata, & vident Pontificii ſe excidiſſe ea ſpe quam maximam conceperant de conuentu Baionenſi. Si verum eſt, Melitem veniſſe in Turcarum poteſtatem, ſentient breui omnes Tyrrheni maris accolæ, quanto cum ſuo detrimento id ſit factum. Claſſis Hiſpanica centum & ſex triremium fuit ſpectatrix tantæ cladis ex

vicina Sicilia: & fuit ea inſania ducum, vt inter ſe de principatu certarint, interea dum ſocii pereunt. Reliqui Itali accuſant Venetos, quod ſubminiſtrent arma Turcis. Dux Sabaudiæ expellit ex ſua ditione habitatores conuallium Lucernæ & Angroniæ, quibus ante quatuor annos vendidit libertatem in religione, cum ab ipſis victus eſſet aliquot præliis. Sunt iſti VValdenſium reliquiæ, & a ducentis annis ſemper profeſſi ſunt eam religionem quam iam profitemur; nec impediuit, quo minus facerent, rex Galliæ interea dum eſt ibi dominatus. Coöptatus eſt in locum Turnebi quidam Peregrinus nomine, qui mihi eſt ignotus. Dicunt eum iam viuere in Italia, & eſſe virum doctum & nondum ſenem. Propero in aulam, quæ iam dicitur eſſe in Santonibus, & inde proficiſci in Britanniam Armoricam. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, III Non. Sept. MDLXV.

XXI.

RES Gallicæ ſunt vetere loco, hoc eſt, inter ſpem & metum. Rex tamen paulatim adoleſcens videtur eas reddere minus incertas, cum præſertim iam appareat non defuturum ipſi ingenium. Allocutus eſt me aliquoties, & eſt mihi viſus eius ſermo magis ſerius quam ab ea ætate ſperarem. Regina quæ rerum potitur, dat, prætermittit, & ad omnium voluntates ſe inflectit, ita tamen vt habenas e manibus

non

non dimittat. Quidam ex proceribus Scoticis, quorum duces fuerunt Hamiltonus Araniæ comes & Iacobus frater naturalis Reginæ, oppoſuerunt ſe nouo Regi, eo quod reduceret eos qui propter religionem exulabant; ſed profligati a Rege fugerunt in Angliam. Ipſa regina Angliæ eſt valde ſollicita de ſuis rebus, cum non ignoret ius quod Rex & Regina Scotiæ habeat ad regnum Angliæ, & ſciat in Anglia eſſe adhuc multos clam addictos religioni pontificiæ, & ſe in multorum odium incurriſſe eo quod ita euexerit Robertum Dudlæum. Vt aliquid habeat quod imminenti tempeſtati opponat, redit ad ſuas artes: nam denuo ſimulat ſe expetere nuptias Caroli Archiducis, quem depulſa tempeſtate faſtidiet, vt antea. Valde multi Angli a paucis menſibus venerunt in has regiones, ac etiam in inferiorem Germaniam, omnes addicti religioni pontificiæ. vereor ne quid aduerſus ſuam reginam moliantur. Sed de his rebus plura coram: nam forte veniam ad te antequam hæ litteræ tibi reddantur. Bene vale. Lutetiæ, XIV Cal. Decembr. MDLXV.

XXII.

Gratiſſimum mihi fuit audire, D. Philippum tandem ad vos rediiſſe ex captiuitate Romanæ inquiſitionis ſaluum & incolumem; cuius incolumitatis vos eo magis lætari exiſtimo,

mo quia omni fere de ea ſpe aliquando excideratis: & profecto bene eſt cum eo actum, quod ſit liberatus antequam hic Papa adſumeretur ad Pontificatum, apud quem dicunt Caniſium plurimum valere auctoritate. Sed tamen non dubito quin iſtam veſtram lætitiam aliquantum interturbet mors noſtræ nurus honeſtiſſimæ mulieris, cuius ſummam humanitatem ſum expertus cum proxima æſtate facerem iter Norimberga. Spero me fore cum D. Ioachimo IV aut V Martii: quare ſi quid per me vis ſignificare Ludouico, poteris intra illud tempus litteras ad D. Ioachimum mittere. Cupio omnes iſthic, præter te, hanc meam profectionem ignorare, & habeo eius rei cauſſas. Venerunt mihi in mentem quædam verba Domini Philippi, quæ forte tibi non videbuntur indigna quæ narrationi de eius vita inſerantur. Scis mortem eius fere incidiſſe in tempus conſpirationis Ambroſianæ. Scripſi ad ipſum Francofurto, quo tunc eram profectus, de eius conſpirationis infelici & tragico exitu. Paulo antequam exſpiraret legit ipſi litteras meas Doctor Peucerus; quibus prælectis dixit Portano qui tunc aderat: Portane vides qualis ſit mea valetudo, ſed tamen maiorem dolorem ſentio ex calamitate Gallicarum eccleſiarum quam ex morbo. Dixit Ambroſius, ſe ideo maxime diligere Theodoſium, quod moriens de nulla re magis quam de ſalute eccleſiarum eſ-

ſet

ſollicitus. Bene & feliciter vale. Opto plurimam ſalutem domino Philippo filio, cui vtinam in aliqua re gratificari poſſem. De rebus publicis hic eſt altum ſilentium, præterquam de ingenti nauali apparatu Turcico, & de conſpiratione Veneta, cuius ſcribunt Itali Imperatorem non fuiſſe ignarum. Sed de hoc non dubito vobis eſſe notiora, præſertim ab aduentu D. Philippi. Dreſdæ, IX. Cal. Mart. MDLXVI.

XXIII.

TVrbatis rebus Belgicis nobis adimitur occaſio ſæpius ad vos ſcribendi, nam pauci hinc Norimbergam proficiſcuntur. Ortus eſt ante menſem tumultus in oppido Palmeria, quod abeſt a Toloſa vnius diei itinere. In eo tumultu noſtri interfecerunt ex pontificiis quadraginta aut quinquaginta, amiſſis tantum quinque aut ſex ſuis: cui tamen tumultui dicuntur cauſſam præbuiſſe pontificii. Periculum tunc fuit ne Toloſa vrbs potens & ſæua tumultuaretur: quod metuentes qui noſtram religionem profitentur inde diſceſſerunt tam multi, vt dicantur trium millium numerum excedere. Ex aula miſſi ſunt, qui de iis rebus cognoſcerent, & præciderent omnes cauſſas maiorum tumultuum: quod credo ab ipſis eſſe factum; nam audio Toloſates reuocare eos qui ex vrbe diſceſſerunt. Reliqua Gallia Dei beneficio ſatis bene habet, niſi quod eſt inaudita

dita annonæ caritas. nam homo non intemperans poteſt in panem & vinum vno die inſumere quinque aut ſex groſſos veſtræ monetæ. Verum ſolamur nos ſpe felicis prouentus huius anni, & iam dicitur multum imminutum pretium frumenti extra hanc vrbem : in hac vrbe vero primum hac ſeptimana cœpit nonnihil minui. De rebus Belgicis non ſcribo, quia quando litteras meas accipies, ſtatus ibi futurus eſt longe alius ab eo qui iam eſt. tanta fit indies mutatio; & præterea credo vos crebro inde litteras accipere. Regina Angliæ adhuc ſimulat ſe velle nubere Archiduci Carolo. Scotica peperit filium decima nona Junii paulo ante octauam matutinam. Putaui hic adſcribendum quod hodie primum ſciui, Amiralium fuiſſe vno die tantum maiorem Guiſio. fuerunt duo acerrimi viri totius Galliæ. vsque ad annum viceſimum quintum ætatis fuit ſumma inter ipſos coniunctio & beneuolentia. poſtea eſt orta ſimultas ex liberiore admonitione Amiralii ad Guiſium, quam ſecutæ ſunt grauiſſimæ inimicitiæ, quæ tandem eruperunt in ea mala quæ vidimus. Puto eos natos anno decimo octauo: inquiram de die natali vtriusque, & ad te mittam. Hæc ſcribenti veniebant in mentem Dux Mauritius & Marchio Albertus. Adoleſcens Guiſius iam proficiſcitur in Bauariam ſpe ducendi filiam Principis Bauarici. Ego omnia fauſta & felicia tibi

& tuis

& tuis a Deo precor. Ludouicus rectiſſime valet, & eſt omnibus cariſſimus. Lutetiæ, III Id. Iulii MDLXVI.

XXIV.

PEr aliquot annos dedit hic operam litteris Comes Antonius filius vnicus Comitis Ioachimi Ortemburgii exulis, adoleſcens tantæ ingenii & morum ſuauitate, vt neſciam an vllum vnquam nouerim cum eo conferendum; nec dubito, ſi Deus ei longiorem vitam conceſſerit, quin in præſtantiſſimum virum euadat. Is ita complectitur Ludouicum filium tuum, vt nullius hominis conſuetudine ita delectetur. Hoc autem anno conſtituit viſere oppida quæ ſunt ad ripam Ligeris, ac etiam Pictonum & Santonum litora, vbi ſunt inſignes illæ ſalinæ, ex quibus Rex Galliæ habet ſua præcipua vectigalia. Inuitauit aliquoties Ludouicum ad illam peregrinationem; qui quamuis expeteret, non audebat tamen obſequi, veritus ne tale conſilium non probares. Verum cum adoleſcens id ſæpius repeteret, & quidem peramanter, ac oſtenderet ſe teneri magno eius deſiderio, Ludouico petenti a me conſilium non diſſuaſi ne ei obſequeretur: cum præſertim ſciam, præceptorem & nobilem adiunctos adoleſcenti eſſe viros doctos & moderatos & Ludouici amantiſſimos. Ea res ideo etiam minus habet incommodi, quia hoc anni tem-

tempore ſolent feriari profeſſores, & plerumque varii morbi in hac vrbe graſſantur. Res Gallicæ ſunt ſatis bono loco: tantum metuendum eſt, ne turbæ Belgicæ ad nos ſerpant. Sed ſpero eos qui hic gubernant, daturos operam ne id fiat. Res Belgicæ indies magis turbantur. ego vereor ne breui in ea mala incidant, in quæ nos ante quadriennium incidimus. Turcica claſſis expoſuit militem in litora Maruccinorum, qui iam obſidet oppidum Piſcariam in ripa Aterni amnis, qui eſt limes regni Neapolitani & ditionis pontificiæ. Verendum eſt ne quid magni damni dent Italiæ, cum habeant vicina litora Macedoniæ & Epiri, quæ ipſis ſuppeditent militem, & iam dicatur diſſoluta claſſis Hiſpanica, eo quod non potuerit vno in loco viuere, interceptis a piratis nauibus, quæ commeatum vehebant ex Hiſpania in Siciliam. Veneti dicuntur eſſe in magno metu, & magno ſtudio claſſem inſtruere, ſed tutabuntur ſua litora: non enim audebunt Turcas offendere. Regina Hiſpaniæ peperit filiolam. Pontifex Romanus dicitur ejeciſſe ex ſua ditione Judæos, & ex vrbe ad tredecim millia ſcortorum, & præterea exuſſiſſe aliquot Sodomitas. Mitto vnum aut alterum libellum. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, IIX Cal. Sept. MDLXVI.

XXV.

XXV.

CRedo Ludouicum tibi ſignificaſſe, Monspeſſium non eſſe profectum, tum quod mortuo Rondeletio hæc ſchola iam habeat doctiores profeſſores, & rei herbariæ exercitium per hiemem non ſit magni momenti, tum quod Comes Ortemburgius cupiat eum in ſuam familiam recipere, & ſecum proxima æſtate in Italiam ducere, ſi hoc a te poterit impetrari. De ingenio adoleſcentis alteris meis litteris ad te ſcripſi. Cum me nuper diſcedentem Aurelia ipſe & præceptor ad aliquot milliaria comitarentur, & in itinere ac etiam inter cœnandum variis quæſtionibus & diſputationibus ipſum fatigaremus, tantam ex ipſius alacritate & ingenii acumine ac elegantia voluptatem cepi, vt neſciam an ab aliquot annis vllum diem tam ſuauiter transegerim. Habet autem præceptorem ea eruditione, & morum ſuauitate, vt putem ipſum illa initia virtutis non minus eius inſtitutioni quam generoſæ ſuæ indoli debere. Is admodum diligit Ludouicum, & nihil magis cupit quam habere eum ſocium in moderanda adoleſcentia ſui alumni, quem videt Ludouici conſuetudine mirum in modum affici. Tota Gallia Dei beneficio eſt pacata & tranquilla. Deus illam ſuperioris anni penuriam compenſauit maxima copia frugum & vini. Belgicæ res ſunt perturbatiſſimæ. Hiſpani exiſtimarunt ſe ſuis lentis conſiliis omnia

omnia moderaturos: verum fertur equis auriga, & ſine dubio per hiemem multa ibi mouebuntur, cum præſertim iam pene ſit certum Regem manſurum in Hiſpania. Bene vale. Lutetiæ, X Cal. Nouemb. MDLXVI.

XXVI.

Quamuis omnia hic ſint tranquilla, fama tamen aduentus Regis Hiſpaniæ nos vtcunque ſollicitos reddit. Qualem ſucceſſum ipſi optent qui hic gubernant, ignoro; ſed tamen puto eos habere in animo ex euentu rerum ipſius de ſuis conſtituere. Ipſæ ſolæ belli ſuſpiciones inferiorem Germaniam euertunt, eo quod commercia impediant. Pulcherrimæ enim illæ vrbes & populoſiſſimæ conſtant ex mercatoribus & opificibus, & plerique mercatores negotiantur pecunia fœnori accepta, quod ſolet ibi eſſe grauiſſimum. Iam vero cum ibi ceſſent commercia, & mercatores non vtantur opera opificum, qui fere omnes in diem viuunt, miſeri homines non habent vnde ſe & ſuam familiam ſuſtentent, mercatores autem fœnore exhauriuntur. Itaque infinita illorum hominum multitudo coacta egeſtate iam patriam relinquit, & fere plures Germanos quam Gallos hic per plateas diſcurſantes videmus: quamuis audiam adhuc plures conſpici Rothomagi, & in reliquis vrbibus maritimis Normanniæ, ac etiam Londini in

An-

Anglia. Quid autem fiet ſi ad arma deueniatur, & Hiſpani pro arbitrio leges præſcribant? Ego doleo vicem illius cultiſſimæ gentis, & quæ reliquas omnes nobis notas induſtria ſuperare videtur. Si Rex Hiſpaniæ nauiget in Italiam ante hiemem, quod omnes affirmant, & tamen ego non credo, cogetur hibernare Mediolani. Pontifex Romanus iam dicitur proficiſci Genuam vt eum ibi conueniat. Audio etiam miſſum Maſſiliam præfectum Gallicarum triremium, vt eum excipiat, ſi forte tempeſtate actus, aut alio caſu, appellat ad ea litora. Faxit Deus vt eius aduentus ſit fauſtus & ſalutaris, non ſolum ipſius ditionibus, ſed etiam toti orbi Chriſtiano: ſed cum ſit addictiſſimus Inquiſitioni Hiſpanicæ, Pontifici Romamano, & Cardinali Granuellano, vix aliquid moderati ab eo ſperare audeo, quamuis alias natura placidiſſimus eſſe videatur. Bene & feliciter vale. Lutetiæ, Idibus Nouembribus MDLXVI.

XXVII.

TOta hac hieme ita me affixerunt catarrhi, vt ſi vel paululum libro incumberem, non poteram poſtea ſine magno dolore caput attollere. Ea res fuit in cauſſa, vt ad vos minus crebro ſcriberem, quamuis fere nihil memorabile dudum hic accidit. Qui enim gubernant, ſunt in hoc ſerio intenti, vt omnes tumul-

multuum occaſiones præcidant: & ia diligenter cauent ne quid innouent, n habet quod de ipſis magnopere conqueratu. rudierunt eos domeſtica mala; ad quæ iam dit incendium excitatum in inferiore Germania, quod vereor ne non poſſit reſtingui niſi ruina illarum nuper florentiſſimarum nunc autem miſerrimarum regionum. Hiſpani præ ſe ferunt, ſe iſta non magni facere, & ſe poſſe quandocunque volent ſine magna difficultate compeſcere: ſed in eiusmodi rebus magnifica verba non ſufficiunt. Jam conſtituerunt obſidere Valentianas vrbem munitam, quæ ſe pertinaciter defendet, eo quod nulla ſpes in Hiſpanorum miſericordia ipſi proponatur. Jam dicunt Regem Hiſpaniæ non venturum in Belgium, ſed miſſurum Albanum. verum ne iſte quidem properat, & cum maximæ claſſes Turcicæ dicantur inſtrui aduerſus Italiam, Hiſpani ſatis habebunt hoc anno quod agant, cum præſertim ipſa Hiſpania non ſit pacatiſſima. Jam enim multi non diſſimulant, coercendam eſſe iſtam nimiam licentiam & inſolentiam inquiſitionis; inter quos dicitur eſſe Rigomus de Sylua, cuius eſt præcipua gratia & auctoritas apud Regem, ſed Albanus ei, quantum in ſe eſt, aduerſatur. aiunt regem iſta ſatis intelligere, ſed eſſe puſillo animo. In hac parte Galliæ ſunt iam admodum crebra latrocinia, quamuis diligenter in latrones inquiratur, &
multi

multi quotidie crudelibus ſuppliciis afficiantur. Horum plerique ſunt milites, qui abſumtis iis quæ in proximis bellis rapuerant, nullam aliam rationem ſibi victum quærendi norunt. Sed ſpero quod pleroſque iſtorum abſument Belgici tumultus & longinquæ nauigationes, quæ iam frequentes inſtituuntur. Proxima æſtate Monlucius Vaſco armauerat aliquot naues animo nauigandi ad oſtia Nigri, fluuii maximi qui ſe in mare Atlanticum exonerat, vt cum illarum regionum principibus contraheret amicitiam nomine Regis Galliæ, & impetraret ab ipſis locum maritimum ad deducendam coloniam Gallicam, in quam ſe reciperent noſtri negotiatores, qui frequentes ad ea loca exercendæ mercaturæ cauſſa nauigant. In itinere appulit ad litora Maderæ inſulæ, vbi cum quoſdam aquandi cauſſa expoſuiſſet, Portugallenſes qui ibi dominantur, facta ex vicino oppido eruptione, eos inuaſerunt. Id cum animaduerteret Monlucius, deſiliit ex nauibus vt ſuis opem ferret, & cum Portugallenſes in fugam conuertiſſet, tam celeriter eſt eos inſecutus, vt ſimul cum eis oppidum ingrederetur ac diriperet. Ictus autem globo in eo conflictu cum poſt aliquot dies ex vulnere interiiſſet, ſocii amiſſo duce deſpondentes animum inſtitutum iter deſeruerunt, ac iam in Galliam redierunt, vbi iam a Portugallenſibus accuſantur violatæ pacis. Proximo mercatu Francofurtenſi

tenſi conſtitui ad vos redire. Bene vale. Scr
ptis his litteris tuas accepi datas Lipſiæ X
Decembr. Cum ad ea mala, de quibus ſcribi
acceſſerit Gothana obſidio, vereor ne in iſt
regionibus excitetur incendium quod non f
cile reſtingui poſſit: cum præſertim hic dic
tur Erneſtum a Mandeslo & Guilelmum
Stain conſcribere militem in VVeſtphalia
inferiore Saxonia. Lutetiæ, IV Cal. Feb
MDLXVII.

XXVIII.

REliqui Lutetiæ Ludouicum incolumen
vt ex eius litteris poteris intelligere. Sa
lutaui Argentorati Philippum, quem etiam re
cte valere teſtabuntur eius litteræ. Cupiebar
iſthuc exſpatiari, ſed nondum id mihi licet,
forte hinc redibo Francofurtum, futurus ta
men apud vos, vt ſpero, proximo mercatu
Noſtra obſidio protrahitur, & mihi videtu
quod nimis caute agamus, cum in vrbe dicar
tur eſſe exiguæ copiæ, & obſeſſi exciderin
omni ſpe externi auxilii. In Gallia omnia ſun
pacata. Inferioris Germaniæ ſtatus eſt miſer
rimus. Qui promouerunt hactenus mutatio
nem religionis, iam committuntur inter ſe
Egmondanus & Mansfeldenſis deficiunt a
pontificios. Arauſienſis poſtquam in ſua cun
ctatione & hæſitatione paſſus eſt noſtrorum
vires attenuari, ſe tandem præbet illis ducem

Hacte

Hactenus inter Egmondanum & Arauſienſem fuit ſumma amicitia, & in omnibus rebus idem ſenſiſſe videntur, & præſertim in oppugnando Cardinale Granuellano, cui iam iucundum ſpectaculum præbebunt inter ſe commiſſi. conſcribitur iam ab vtraque parte miles. Mansfeldenſis obſidet Valentianas, quas maxime cupiunt opprimere, eo quod non procul abſint a finibus Galliæ. non puto fore facilem oppugnationem vrbis amplæ & munitæ, & forte Huguenoti Galli non deſerent eam. Credo iam ad vos perſcriptum eſſe, quendam Italum ductis cuniculis ſub fundamenta domus, in qua Rex Scotiæ cœnabat, & ſuppoſito puluere bombardico, euertiſſe domum, & Regem ſimul cum patre & aliquot proceribus, qui una cœnabant, ea ruina oppreſſos fuiſſe. Italus iſte dicitur frater Dauidis, ſecretarii Reginæ Scotiæ, qui ante annum fuit abductus a rege ex cubiculo reginæ, & confoſſus a nobilitate Scotica. Regina Angliæ promiſit Ordinibus ſui regni, ſe nupturam Carolo Auſtriaco. De aduentu Regis Hiſpaniæ omnia ſunt incertiſſima. eius claſſis dicitur feciſſe naufragium in mari mediterraneo. Adiunxi his litteras ad Doctorem Peucerum, & ad Comitem de Choiſi Gallum, quas peto ne graueris ad ipſos mittere. Deus conſeruet te & tuos. Ex caſtris ad Gotham, XXI Mart. MDLXVII.

XXIX.

IMpetraui ab aula, vt mihi liceret aliquot ſeptimanarum otio & veterum amicorum conſuetudine animum & corpus variis modis defatigatum hic recreare. quod inſtitutum video mihi non infeliciter ſuccedere; nam ſentio me paucis diebus plurimum ex priſtino robore recepiſſe. Quid hæc noſtra victoria ſit nobis paritura neſcio; ſed vereor ne nobis eam inuideant ii, quos maxime decebat eam ſibi & nobis gratulari. vtinam autem nos ea prudenter & moderate vtamur. Non dubito te audiuiſſe, decretum fuiſſe Gothæ, vt Princeps captiuus duceretur ad Imperatorem per dominum Chriſtophorum Carolouicium. Cum diſceſſi Dreſda, ob eam rem hinc & Lipſia eo erant euocati præſidiarii milites, & erat conſtitutum vt viceſima huius menſis inde abduceretur. Sed hic audimus id eſſe immutatum, & dimiſſos equites & pedites qui erant eum abducturi. vides quam ſint omnia plena ſuſpicionum. Marchiones Joannes & Joannes Georgius iam ſunt apud noſtrum Principem. Joannes ſibi metuit ab Imperatore, qui ſerio repetit oppida a Ferdinando patre oppignorata Epiſcopo Lebuſienſi, quæ ipſe Joannes ad ſe translata magnis ſumtibus muniuit. Sundii in Pomerania cum aliqua ſpe agitur de pace inter Danum & Suecum. Sueci tamen irruperunt in Noruegiam, vbi omnia igne & ferro vaſtant. De appara-

paratibus bellicis Bipontini, & concurſu præfectorum militarium ad Georgium Joannem Palatinum qui iam eſt Francofurti, puto vos certiora habere quam hic habeamus. Ego omnia fauſta & felicia precor tibi & domino Doctori Joachimo. VVittenbergæ, VI Calend. Junii MDLXVII.

XXX.

CLariſſime Domine: Gaudemus te in has regiones rediiſſe, ſed magis gauderemus ſi te tuæ valetudini plane reſtitutum eſſe audiremus. Dixeram Doctori Peucero & Domino Eſromo, Germanum Valentem eſſe regium aſſeſſorem in ſupremo ſenatu ſeu, vt nos loquimur, parlamento Pariſienſi, quod putabam ipſos ad te ſcripſiſſe. De rebus Gallicis nihil habeo quod ſcribam. Belgium eſſe plane euerſum procerum ſtultitia & ignauia non ignoras. Negotiationes Anglicæ, quæ fuerunt Antuerpiæ, transferuntur Hamburgum, & iam de conditionibus, quibus fiat, conuenit inter Anglos & Hamburgenſes. Vereor ne ea res faciat mutationem in aliquibus Germaniæ emporiis, & præſertim in veſtro Lipſienſi & in Francofurtenſi. nam cum Anglorum merces ſint pretioſiſſimæ & maxime neceſſariæ, quocunque ſe conferunt ſolent plerumque ſequi alii mercatores. conſtat eos inſtituiſſe Brugenſe emporium, & poſtea Antuerpienſe. Huc ſcribi-

 tur,

tur, filium Moſchi ducere ſororem Regis Sue-
ciæ, & Suecum ei tradere Reualiam & reliqu
oppida quæ in Liuonia poſſidet. Hodie qui-
dam Danus hac faciens iter dixit Doctorem
Jonam truncatum eſſe capite in Dania. Epi-
ſcopus Agrienſis mittitur ab Imperatore Con-
ſtantinopolim ad confirmationem induciarum
impetrandam. Hungari grauiter accuſarun
Schuendium in conuentu Poſonienſi, & dixe-
runt: ſibi plus damni ab ipſius militibus quam
ab hoſte datum eſſe. reſpondit Schuendius
neceſſe fuiſſe milites alicunde ſibi victum
quærerent, cum ipſis non ſoluerentur ſtipen-
dia. Angli adhuc faciunt ſpem Carolo Archi-
duci de ſuæ Reginæ coniugio, & iam dicitur ob
eam rem miſſus ad Imperatorem Comes Su-
xeſſiæ. hanc rem non agi ſerio exiſtimo. Sco-
tia eſt perturbatiſſima ob Regis necem, in cu-
ius auctores inquiritur. Proceres eripuerun
reginæ filiolum, quem cum nuper vellet viſe-
re, ægre eſt admiſſa cum duabus pediſſequi
Bene vale. VVittembergæ, Idibus Jul
MDLXVII.

XXXI.

WEchelo hodie ſatisfiet pro ea pecuni
quam Ludouico mutuo dedit. iam no
ſuccurrit nomen mercatoris Norimbergenſ
qui id in ſe recepit. Egi ei tuo nomine grati
pro præſtitis Ludouico filio tuo officiis, vt m
hi mandaſti; ſed reſpondit, magis decere

ip

ipſe tibi gratias agat, quod tuus filius in eius familia omnibus fuerit exemplo ad virtutem, & ait ſe ſummum dolorem ſenſiſſe, & totam familiam effuſe lacrymaſſe, cum ab ipſis diſceſſit. Egi cum Frelonio typographo Lugdunenſi vt ſuppeditet ei quantum ſatis ſit pecuniæ, ſi ab eo petat, idque ſignificaui Ludouico; quod a me ideo factum eſt, vt habeat paratum viaticum ſi tumultus, qui in Gallia denuo excitari videntur, eum inde fugere cogant: quod vt mature faciat, ſi ad arma deueniri videat, eum monui. Qui noſtram religionem profitentur, animaduertentes quibus compedibus conentur eos paulatim irretire qui gubernant, malunt armati aut interire, aut ſe in libertatem vindicare, quam exemplo Belgarum præbere ceruices carnificibus. nondum tamen, quod ſciam, ad arma deuentum eſt. Albanus oppreſſit præſidiis militaribus libertatem vrbium Belgicarum, & iam coniecit in vincula Comites Egmondanum & Hornenſem, filium Petri Erneſti Mansfeldenſis, * conſulem Antuerpienſem, & plures alios, quos putatur miſſurus in Hiſpaniam. Principes Rhenani non parum metuunt ne opprimantur; & iam videtur fieri initium ab Archiepiſcopo Colonienſi, quem cogunt ſe abdicare epiſcopatu, eo quod noluerit redimere pallium a Pontifice Roma-

* *hic ſibi conſuluit fuga, ſed captus eſt filius Principis Auraicæ.*

Digitized by Google

no, quamuis alias cauſſas prætexant, conatu
vt aiunt, irrepere in eum epiſcopatum Card
nalis Auguſtanus. Celebratæ ſunt his dieb
nuptiæ filii Ducis Bauarici cum Lotharingi
ſorore. Victorinus receptus eſt in numeru
profeſſorum ab Heidelbergenſibus, qui etia
conduxerunt Zanchium Italum. Vas domi
Petri a Rung fuit huc aduectũ alteris nundini
ſed VVechelus ignorauit cui eſſet tradendu
cum nemo repeteret; iam autem cuidam rep
tenti tradidit. Mitto libellum de quo dixera
quem petii ab amico cum venalem non inu
nirem. Mitto & alium gallicum, qui Imperat
rem acerbiſſime perſtringit. auctor videt
imperitus rerum Germanicarum; ſed de B
gicis & Gallicis ita diſſerit, vt videatur mi
longe ſuperare ingenio omnes qui hoc arg
mentum noſtro tempore tractarunt, & cla
ante aliquot menſes prædixit quæ iam videm
in Belgio. Quoniam is libellus & Gallos
Belgas & Imperatorem admodum vrit, ſu
propoſita magna præmia ei qui auctorem ind
caret. Scio hoc mercatu ſingula exemplar
ſingulis coronatis eſſe diuendita. tu pro tuo a
bitrio perlectum aſſeruabis aut exures: quan
uis cuperem eum legi a magnifico Domi
Carolouicio. Ego omnia fauſta & felicia ti
& tuis a Deo precor, & ago gratias pro innu
meris beneficiis quæ a vobis accepi. Co
mendo tibi adoleſcentes qui has litteras ti
tr

tradent. ipſorum parentes ſunt non paruæ auctoritatis inter eos qui noſtram religionem profitentur. alter eorum eſt eleganti ingenio, ſed eſt paulo petulantior. Francofurti, III Calend. Octobr, MDLXVII.

XXXII.

NOn dubito iamdudum ad vos perueniſſe famam noſtrarum calamitatum, quæ ſunt eiuſmodi, vt ipſa ſalus ſi velit non poſſit nos ſeruare. Proceres qui ſunt noſtræ religionis, certiores facti agitari in aula conſilia de ipſis opprimendis, & adimenda reliquis libertate in religione, & ad eam rem conductos Heluetios eſſe; tanta celeritate arma corripuerunt, vt vix conceſſerint ſpatium Regi ad ſe recipiendum Lutetiam, vbi iam ab ipſis obſidetur. Ex omnibus Galliæ partibus confluunt in noſtrorum caſtra magno numero milites; ſed Rex nuſquam adhuc, quod ſciam, habet inſtructum exercitum. nam noſtri non permittunt, vt hinc inde diſperſæ eius copiæ coeant. Conducit tamen militem Germanicum, Heluetícum, & Italicum, & ex inferiore Germania mittuntur ei ſubſidia. Noſtri autem habent ad ſex millia equitum Germanicorum, & ad tria millia peditum, quos Dux Ioannes Caſimirus filius Electoris Palatini ducturus eſt in Galliam. Vides nos ſummo ſtudio in id incumbere, vt miſeram patriam euertamus. quid enim fiet, vbi eæ

copiæ in Galliam peruenerint? Actum eſt de pace aliquoties ad Lutetiam, & venerunt in Condæi caſtra, quæ ſunt ad Sandionyſium, Conneſtabilis, Cancellarius, & alii proceres; ſed hactenus nihil eſt effectum. Scripſerunt huc aliqui, Regem ante aliquot dies eduxiſſe copias Lutetia, easque fuiſſe fuſas a noſtris, & interfectum eſſe ſatis magnum numerum Heluetiorum; ſed neſcio an hæc ſint certa. ſi de iis rebus aliquid certi habuero, id ſtatim ad te ſcribam. Lugduni noſtri ſunt oppreſſi ſua culpa: nam Delphinates volebant in vrbem inducere militem, ſi ipſi permiſiſſent. totus autem Delphinatus præter Gratianopolim, & ea pars Galliæ Narbonenſis quæ eſt inter Rhodanum & Pyrenæos montes, ſunt in noſtrorum poteſtate. Monſpeſſulus eſt præcipua vrbs illius tractus. Quare exiſtimo, filio tuo Ludouico nihil incommodi accidiſſe, ſed eſſe ei difficile ſe ex locis illis explicare. Francofurti dedi litteras ad eum Frelonio typographo Lugdunenſi. miſi & alteras Geneuam ad Joannem Criſpinum. Monebam eum vt ſe in ditionem Sabaudi vel in Heluetiam reciperet; ſed vereor ne non potuerint ad eum mitti litteræ. ſunt enim ita infeſta omnia itinera, vt nemo audeat ſe iis committere. Si veniat Geneuam, non deerit ei viaticum, nam de ea re ſcripſi ad Criſpinum. Vides initia ingentium malorum; quibus qua ratione occurri poſſit non video,

nisi

niſi tranſactione aliqua, quam tamen vix audeo ſperare. Metuo autem ne & Germania & Anglia noſtris calamitatibus inuoluantur. Bene & feliciter, vale. Argentorati, XIII Nouembr. MDLXVII.

XXXIII.

OMnia quæ ex miſera & pereunte Gallia habemus ſunt triſtiſſima, præter illud vnicum, quod filius tuus Ludouicus, Dei beneficio, feliciter ereptus eſt illis malis, & incolumis peruenit Geneuam, vt audiui ex iis qui cum ipſo iter fecerunt. Vbi ad vos peruenerit, non erit forte iniucundum audire eum narrantem, cum quibus difficultatibus & periculis in eo itinere ſit conflictatus. Manſit aliquandiu Geneuæ, perſuaſus ab illuſtriſſimo principe Chriſtophoro filio Electoris Palatini, & a Beza, & etiam captus conſuetudine multorum doctorum virorum qui illic viuunt. ſperamus tamen eum intra paucos dies hic adfuturum. Pugnatum eſt ad Lutetiam decima proximi menſis. Superueniens nox dubiam victoriam reddidit, quam vtraque pars ſibi attribuit, quam verius poſſent dici vtrique victi, qui tanta rabie in ſeipſos, hoc eſt, in ſuos ciues feruntur, & ſe mutuis vulneribus conficiunt! In ea pugna letaliter vulneratus eſt & ex vulnere poſtea interiit Conneſtabilis, quo ſublato nulla ſupereſt ſpes pacis. Poſtridie pugnæ Condæus

dæus inſtructa acie progreſſus eſt vſque ad ipſius Pariſienſis vrbis portas, vt aduerſarios denuo ad pugnam pelliceret; ſed ii continuerunt ſe intra muros vrbis. Condæus etiamſi eo facto videretur ſuperior, miſit tamen ad Regem nobilem virum, qui ipſi denuo indicaret cauſſas, quæ eos neceſſario impulerunt ad arma ſumenda, & ab ipſo ſuppliciter peteret, vt rationem aliquam iniret, qua tantis malis remedium aliquod adferri poſſit. Nihil aliud reſpondit Rex, quam vt ipſi arma deponerent, & ſe ad ſua reciperent. Ex eo reſponſo apparet ipſum non expetere pacem. Miles Germanicus iam proficiſcitur in Galliam, in quo quid ſit ſpei reponendum non video: cum nulla pecunia ipſi explendo ſufficiat, noſtri autem non abundent, dux vero ſit adoleſcens; cuius quidem ingenium & voluntas laudantur, ſed tironem plane imperitum rerum tantis rebus præficere eſt periculoſum. Verendum eſt etiam ne a malis hominibus deprauetur, quos plurimos eum ſecum habere neceſſe erit. Rex etiam vndique in Galliam inducit peregrinum militem, hoc eſt, lupos in ſuos greges. In tanta rerum acerbitate & deſperatione poſſet videri aliqua felicitas, ſi ſtatim periremus. Bene & feliciter vale. Argentorati, quinto Id. Decemb. MDLXVII.

XXXIV.

XXXIV.

SVb initium huius menſis non procul ab vrbe Metenſi equites Germanici coniunxerunt ſe cum Condæo, qui cum exercitu in Lotharingiam venerat, vt redderet ipſis faciliorem tranſitum Moſellæ & Moſæ; nam Aumalius, Guiſius, & Tauanius cum non contemnendis copiis conſederant ad Tullum, eo animo vt ſe illis ad Moſellam opponerent. Exercitus regius, cui præeſt Andegauenſis Regis frater, perpetuo fere inhæſit veſtigiis Condæi venientis in Lotharingiam, ita tamen vt daret operam ne ad pugnandum poſſet cogi. Interea agebatur de pace in aula, cuius iam non exiguam ſpem concepimus. iam enim conuenit de conditionibus, & tandem diſceptatur qua ratione noſtris ſit cauendum, vbi arma depoſuerint, cum ſumma gubernationis penes pontificios maneat. Ob eam rem profecti ſunt ad Regem Cardinalis Caſtilionæus, Comes de Rochefoucault, & Dominus de Bouchauanes. Condæus interea mouit caſtra, & videtur Lutetiam contendere, quo ſe cum exercitu recipit Andegauenſis. Conditiones pacis ſunt, vt noſtri fruantur beneficio Edicti de pace facti ad Aureliam (iam ſunt quinque anni), ſublatis omnibus, vt ipſi vocant, coarctationibus & limitationibus, quibus ab eo tempore multum detractum eſt libertati per Edictum nobis conceſſæ. præterea vt liceat Nobilitati quoslibet

promiſcue admittere ad conciones quæ in ipſorum ædibus habentur : nam antea licuit ſubditos tantum. Si pax in Gallia coaleſcat, vereor ne iſtæ tempeſtates deuoluantur in inferiorem Germaniam. Credo Dominum Ludouicum dudum ad vos incolumem perueniſſe. Ego tibi & ipſi ac toti familiæ omnia fauſta ac felicia a Deo precor. Argentorati, IV Id. Januar. MDLXVIII.

XXXV.

Accepi litteras tuas plenas ſummæ humanitatis & ſignificationis beneuolentiæ erga me. Id quanti ego faciam, inde potes coniicere, quod fere ſolus videaris meis malis affici. Nulla ſunt mea erga tuos merita, quos amaui & amo: quia tuæ virtutis indolem in ipſis conſpicio. quibus vtinam potuiſſem aliquid rependere pro ſummis tuis erga me beneficiis, ſed defuit facultas. Scio quid ſit in cauſſa quod de rebus publicis nihil ſcribas, de quibus plura ſcio quam cuperem. Faxit Deus, ne & alienæ & noſtræ ruinæ culpa in nos coniiciatur. Damus operam vt inuidiæ incendium oleo reſtinguamus. De Gallia nihil aliud ſcribere poſſum, quam ipſam funditus interiiſſe. Si Germani conſtantes permanſerint apud Condæum, magis deuaſtabitur quam Bohemia deuaſtata ſit Huſſitanis bellis. Non puto Regem poſſe colligere exercitum, qui ſit par Condenſi, ſi æquo loco pugnetur. Cum pugnatum eſt ad

ad Lutetiam, copiæ Condæi vix erant duorum aut trium millium militum. nam eas exhauſerat miſſis hinc inde præcipuis ducibus ad vicina oppidula oppugnanda; & tamen cum Rex educeret Lutetia ad quatuor millia equitum, & centum ſigna peditum, & aliquot maiores bombardas, non detrectauit pugnam, quam nox interueniens ita diremit, vt vtraque pars aſſereret, penes ſe eſſe victoriam: imo Condæus poſtridie ſummo mane inſtructa acie acceſſit ad portas vrbis Pariſienſis, & coniuncta vrbi ædificia impune exuſſit. Decima Januarii cum regiæ copiæ oppoſuiſſent ſe Mouantio in ripa Elaueris, & eius equitatum, qui prior transierat, profligaſſent; non dubitauit ſe cum peditatu committere vado fluuii nauigabilis, & redintegrata pugna tandem adeptus eſt victoriam, cæſis ex regio exercitu tribus millibus peditum, & mille ducentis equitibus, quorum ſex fuerunt equites regii ordinis. Jam autem Condæus habet in exercitu ad duodecim aut tredecim millia equitum, & ſupra triginta millia peditum, maxima ex parte veteranorum. omnes autem ſunt noſtræ gentis, præter equitatum quem adduxit Dux Caſimirus. Regius exercitus eſt multo numeroſior, & eſt conflatus ex Galllis, Germanis, Heluetiis, Belgis, & Italis. Ei præeſt Dux Andegauenſis Regis frater, ſedecim annorum adoleſcens, cum quo nemo eſt, mortuo Conneſtabile, qui auctoritate aut

rei militaris peritia excellat. Egeſtas quidem & inopia noſtros tandem abſumet; ſed forte non tam cito quam multi exiſtimant. nam audimus aliquot vrbes recens ad ipſos defeciſſe, inter quas nominantur Rochella, potens vrbs maritima Pictonum, & Blaia ad oſtium Garumnæ. Sunt qui dicant, Narbonem etiam ad ipſorum partes defeciſſe. Viceſima ſuperioris menſis Condæus recenſuit militem Germanicum in finibus Lotharingiæ. inde per Lingones duxit exercitum in Burgundiam, miſeram meam patriam, vbi aiunt eum aſſecutum poſtemam partem regii exercitus ad Altiſſiodorum, ac interfeciſſe ad tria millia hominum. Cum propius acceſſiſſet Condæus ad Sequanos, ſeu Comitatum Burgundiæ, vt vocant, eſt ibi trepidatum & vbique conſcriptus miles, vt oppida præſidiis munirentur. In ea trepidatione diſſipata eſt ſchola Dolana, in quam ſe receperant plerique Germani fugientes ex Gallia. Copiæ Ducis Joannis Gulielmi, & præterea mille & quingenti equites Ringrauii, & mille Domini a Betſtein recenſentur prope Verdunum. conſcribuntur & aliæ copiæ Regi in Germania, vt puto te non ignorare. Nos ſumma induſtria & alacritate properamus in noſtram perniciem, & acerrime ac fortiſſime conficimus nos ipſos, cum tamen aduerſus iuſtum hoſtem antea fuerimus ignauiſſimi. tantus furor animos & pectora noſtra inuaſit. Non ſo-

ſolum omnis ſpes pacis eſt ſublata, ſed etiam ſpes de ea agendi, cum Rex apud ſe detineat eos, qui vt de ea agerent a Condæo ad ipſum, accepta fide, erant profecti. Ii ſunt Cardinalis Caſtilionæus, Comes de la Rochefoucaut, & Dominus de Bouchauanes, tres præſtantiſſimi viri. Ego profecto iam magis metuo Germaniæ quam Galliæ, quæ ita interiit vt omnem ſpem de eius ſalute abiecerim. De Belgio nihil ſcribo, ne tibi & alterum vulnus infligam. ibi aperiunt ſua oracula Hiſpani, hoc eſt, Pontifex Romanus, Reges Hiſpaniæ & Galliæ, & reliqui Principes qui in noſtrarum eccleſiarum perniciem coniurarunt. Aiunt Regem Hiſpaniæ tradidiſſe filium cuſtodiæ. Francofurto plura ſcribam. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia a Deo precor. Argentorati, octauo Cal. Mart. MDLXVIII.

XXXVI.

DEus illam tam diu exoptatam pacem tandem nobis conceſſit, quam ſpero fore diuturnam, ſi turbentur rationes eorum qui ſuis malis artibus nos in iſtas calamitates coniecerunt. id vt fiat ſunt multi qui ſerio dant operam. Sæuitia Hiſpanorum in inferiore Germania omnem fidem exſuperat. Sunt qui dicunt, Albanum hæc non probare, ſed ab Inquiſitione adactum eſſe iureiurando ad ea perpetranda antequam diſcederet ex Hiſpania. Furor fit læſa ſæpius patientia; & quantum video, Belgæ con-

conſtituerunt extrema quæque tentare potius, quam hanc tyrannidem diutius ferre: & credo præcipuos inter ipſos iam eſſe in armis. Forte breui audietis, patratum eſſe inſigne aliquod facinus. Pontificii principes excitarunt incendium, quod forte peruagabitur totum orbem Chriſtianum, nec facile reſtinguetur. Noſtri in Gallia cum ſint multis victoriis facti ferociores, & iudicent Hiſpanos & Italos eſſe auctores infelicis iſtius belli, quo miſere deuaſtata eſt Gallia, dabunt operam vt eas iniurias vlciſcantur; & procul dubio irrumpent in Belgium, ſi quid ibi moueatur, etiamſi Rex interdicat: faclie enim contemnent Regis mandata ii quibus nihil fere eſt reliquum præter arma. Hoc dicitur Albanus metuere, & ducere militem ad fines Galliæ; ſed profecto vix ſufficiet miles quem habet tuendis finibus, & vrbibus in fide retinendis, quas multis iniuriis infenſas ſibi reddidit. Si vera ſunt quæ hic dicuntur de letali morbo Regis Hiſpaniæ, & fuga filii eius in Angliam, quanta ſequetur rerum omnium confuſio! Dominus Carolouicius hic per aliquot dies exſpectauit Schuarzburgium, qui quidem tandem aduenit, ſed iam alio reflexit iter. Vereor ne miles Germanicus non magni faciat fulmina conuentus Treuirenſis. Caſimiri expeditio res parentis ſtabiliuit: iam enim eius amicitiam ambiunt ii qui antea inſolentiſſime ipſi inſultabant. Vtinam & nos

tan-

tandem ſectemur generoſa conſilia: nam verſuta, ut ait Liuius, raro ſunt exitu læta. Si ad me litteras dediſti hoc mercatu, eæ non ſunt mihi redditæ. Ego tibi, & tuis omnia fauſta & felicia a Deo precor. Francofurti, pridie reſurrectionis Dominicæ, MDLXVIII.

XXXVII.

VIx adhuc audeo dicere, nos habere pacem in Gallia, cum nondum exceſſerit fines regni miles peregrinus. Copiæ Ducis Caſimiri fere duos menſes hæſerunt in miſera noſtra Burgundia, quam antea percurrerant & regius & Condenſis exercitus. Hiſpanis, qui ſunt in inferiore Germania, ſuſpecta eſt iſta diuturna mora militis Germanici in Gallia, & metuunt ne quid aduerſus ipſos tentet: quod ſpero eum facturum. ſed neſcio qua ſpe; cum Albanus ſit inſtructiſſimus milite, & rebus omnibus ad bellum neceſſariis. Fuit initio admodum exigua ſpes noſtrorum in Gallia, & tamen (vt in tantis malis) fuit minus triſtis exitus belli quam metueremus. Deus, qui nos liberauit, audiet forte gemitus iſtorum, quorum ſunt tantæ calamitates vt totus exhorreſcam, quandocunque de iis cogito: nec dubito, longe atrociora ipſis poſtea metuenda eſſe, ſi Hiſpanis licuerit omnia pro arbitrio agere. Dux VVurtembergenſis amiſit filium primogenitum, ſpem familiæ ſuæ. alter enim qui ei ſupereſt, dici-

dicitur eſſe plane valetudinarius. Ante paucos dies fuerunt apud ipſum Marchio Georgius Fredericus, Ludouicus filius Electoris Palatini, & Hennebergenſis, qui ducturus eſt eius filiam, & puto Bipontinum iam illic eſſe. Conantur quidem ipſum conſolari; ſed tam profundum vulnus non cito coaleſcit. Archiepiſcopus Treuirenſis nuper præiuit pulchro exemplo principibus inhiantibus bonis eccleſiaſticis. Cum mortuus eſſet abbas monaſterii Sancti Maximini, miſit eo milites cum maioribus tormentis, quibus deiicerent monaſterii fores, ſi monachi non ſtatim eos admitterent: quod eſt a militibus factum; & coacti ſunt monachi, præſentibus miniſtris Archiepiſcopi, ſtatim alium abbatem eligere. Illud monaſterium eſt ſatis opulentum, & eſt vicinum ditioni Ducis Bipontini, a quo ſibi metuiſſe videtur Archiepiſcopus. Deus conſeruet te & tuos. Francofurti, XIIX Maii, MDLXVIII.

XXXVIII.

Poſt varios labores & pericula ſatis grauia, fuiſſet mihi gratiſſimum hic poſſe in ſinum tuum animi mei æſtus effundere, & a tua prudentia leuamen aliquod acipere; ſed tamen cum reſciui cauſſas ob quas tam difficile iter ſuſcepiſti, ſpes quam de ea re concepi deſiderium meum vtcunque leniuit: quamuis me ſolicitum habet valetudo tua, quam audio ſatis

tis incertam fuiſſe cum hinc diſceſſiſti. Spero Deum, qui in mentem miſit Imperatori, vt te audire cuperet differentem de rebus ad totius reipublicæ Chriſtianæ ſalutem pertinentibus, conſeruaturum te, & effecturum vt hæc tua paucorum dierum cum ipſius Maieſtate colloquia aperiant viam, qua tot malis oppreſſæ eccleſiæ Dei ſuccurri poſſit. De noſtra Gallia quid aliud ſcribere poſſum, quam ipſam plane periiſſe, & dignam eſſe quæ pereat? adeo ſcelerata & nefaria conſilia ibi agitantur. Lutetiæ vixi per menſem non ſine periculo; ſed cum viderem, nullum relinqui locum ſanis conſiliis, cogitaui de repetenda Germania. Adiunxit ſe mihi comitem Argentoratum vsque Petrus Ramus, a quo cum diſceſſi petiit vt te ſuo nomine plurimum ſalutarem. Id mihi commodi attulit hoc poſtremum meum iter in Galliam, vt minus doleam caſus noſtrorum hominum, cum videam eos perire velle & dignos eſſe qui pereant: nam rabie plus quam belluina in ſe ipſos graſſantur. De Orangii principis expeditione quid ſit ſperandum non video, cum hactenus tam multas occaſiones traiiciendi Moſam, qui vbique fere vadoſus eſt, neglexerit. ſed credo eum habere militem non ſatis obſequentem. Hæc bella Gallica adeo corruperunt diſciplinam militarem, vt verear ne miles Germanicus tandem non minus Germaniæ noceat quam Galliæ. Ego omnia

fauſta

Digitized by Google

fauſta & felicia tibi a Deo precor. Mitto tibi litteras domini Philippi filii tui, qui recte valebat cum apud ipſum eſſem. Lipſiæ, pridie Non. Octob. MDLXVIII.

XXXIX.

GAudeo te incolumem ex tam longa & tuæ ætati minime conueniente peregrinatione ad tuos rediiſſe, & ago tibi gratias pro humaniſſimis tuis litteris, quas binas accepi: vnas Dreſdæ, alteras iſthic datas. quæ eo nomine mihi fuerunt gratiſſimæ, quod ex iis intellexi, non eſſe culpam penes Imperatorem, quod ab iſtis deliberationibus ſit diſceſſum re infecta. nam quidam quorum opera in magnis rebus vti ſolet Imperator, non dubitarunt affirmare, Imperatorem ſolenni edicto reſcidiſſe illam conceſſionem libertatis in religione factam Ordinibus Auſtriacis, idque iuſſu & mandato Pontificis Romani. Qui talia comminiſcuntur non multum proſunt cauſſæ quam volunt videri agere, & interea apud noſtros onerant Imperatorem inuidia maxima: quod non ſatis prudenter fit, cum res Eccleſiaſticorum iam videantur eſſe ſatis periculoſo loco. nam meo iudicio iacta eſt alea; nec Galli, nec Bipontinus, nec Orangius recondent gladios, quouſque aut ipſi perierint, aut aduerſarios euerterint. Expeditio Orangii in inferiorem Germaniam, tanto conatu ſuſcepta, habuit exitum

tum infeliciſſimum. Fortiter quidem traiecerunt Moſam, ſed poſtea nihil recte eſt ab ipſis geſtum, & tam facile ipſorum conatus eluſerunt Hiſpani, quam ſi cum pueris fuiſſet negotium. nam quæ iſthuc perſcripta ſunt de aliquot pugnis & velitationibus, in quibus dicebatur Albanum fortiſſimum quemque ex ſuis amiſiſſe, ſunt plane falſa; nunquam enim pugnatum eſt, aut facta eſt vlla memorabilis velitatio. niſi forte vocemus pugnam id quod XX Octobr. accidit: quo die Orangius amiſit ad octingentos milites fortiſſimos, & Malbergum eorum præfectum, virum egregium. Res ſic accidit: Cum aliquandiu caſtra ad Leodium habuiſſent, & vellent ſe inde recipere, haberentque hoſtem in conſpectu, reliquerunt Malbergum cum ſuis in quadam conualle ad remorandum hoſtis iter, interea dum ſe recipiunt. quod quidem ille fortiter fecit. ſed cum nec mature monitus eſſet ut ſe reciperet, nec miſſi eſſent ei ſubſidiarii equites, vt eſt moris, ab Hiſpanis cum ſuis eſt circumuentus. Id vbi reſciuerunt ii qui erant in poſtrema acie Orangii, adeo trepide & incompoſite ſe receperunt, vt audiuerim a rei militaris peritis qui interfuerunt, potuiſſe ipſos in fugam coniici, ſi vel quingenti tantum Hiſpanici equites ſimulaſſent ſe inſequi. Ab eo tempore plane deſponderunt animum, & ne vnum quidem oppidum tentarunt; ſed ita properarunt ad fines

Galliæ,

Galliæ, vt totum ipſorum iter ſimile fugæ fuiſſe videatur. Cum vero Albanus ipſorum veſtigiis inſiſteret, ac poſtremum agmen carperet, & propterea non liceret ipſis procul euagari ad conuehendum commeatum, plurimi fame & frigore perierunt. Cum vero ingreſſi Galliam ad Sanquintinum facerent iter per Veromanduos, Rhemos, & Catalaunicos, non minorem fere egeſtatem ſenſerunt quam in inferiore Germania. nam præfecti illarum regionum curarant omnes fruges conuehi ex pagis in vrbes. Conſtiterunt primum ad oppidum Barleduc, quod eſt ditionis Lotharingicæ, vbi Orangius dimiſit omnes qui in Germaniam redire voluerunt, qui fuerunt non pauci, quorum plerique fuerunt aut interfecti aut ſpoliati ab Aumalii militibus, qui in Lotharingia aut epiſcopatu Metenſi hibernabant. Gallorum numerus plurimum eſt auctus ſtatim vbi venerunt in ditionem Regis Galliæ; & longe plures ad eum numerum acceſſiſſent, ſi vel ſimulaſſent ſe velle penetrare in interiorem Galliam. nam non erat dubium, quin bona pars iſtius Normanniæ, quæ eſt cis Sequanum, eſſet ad ipſos defectura. Vrgebant id in exercitu Geulius, & alii ductores Gallorum: & cum equites Germanici dicerent, ſibi non numerari ſtipendia, & ne quidem ſuppetere pecuniam ad coemendas res neceſſarias, Galli in medium contulerunt quidquid habuerunt pecuniæ, & inter

ipſos

ipſos diſtribuerunt. Perſuaſi itaque a Gallis alacriter Somonam fluuium traiecerunt, & ad aliquot milliaria ſunt progreſſi: ſed paulo poſt mutatis animis cœperunt regredi, & dicere ſe velle redire in Germaniam, idque nulla ex cauſſa, cum ne quidem hoſtem vidiſſent. et ſic tota illa ſpes de Normannia abiit in fumum, proditione (vt multi exiſtimant) quorundam præfectorum, qui regia pecunia dicebantur corrupti. Dum ad oppidum Barleduc exercitum recreat Orangius, Rex Galliæ venit Catalaunum, non multum ſeptus militibus, & ad Orangium legatos mittit, per quos conatus eſt abducere eum ab inſtituta ſocietate cum Condæo, promiſſis ducentis millibus coronatorum ad numerandum ſtipendia militi,& reſtitutione principatus Orangienſis, & aliorum prædiorum quæ habuit in regno Galliæ. Inter legatos regios fuit quidam noſtris rebus non iniquus, qui clam dicitur admonuiſſe Orangium, ſi vel ſimularet ſe penetraturum in Galliam, Regem, qui plane eſſet imparatus, poſſe adigi ad quasuis pacis conditiones:quare Orangius dimiſſis iis qui abire voluerunt, exiſtimans fore finem tumultuum in ſuo exercitu, & ſe habiturum poſtea obſequentiorem militem, conſtituit magnis itineribus per Burgundiam ad Condæum contendere. quod cum ſuis militibus propoſuiſſet, expertus eſt eos longe magis contumaces quam antea. Quare amiſſis omni-

omnibus iſtis occaſionibus coactus eſt eos in Germaniam nolens volens reducere, & diſtribuere per Argentoratenſem Epiſcopatum; vbi audio eos non minus auare & inhumaniter omnia diripere, quam ſi in hoſtico agerent. Prætexunt ſuæ crudelitati, quod miniſtri Epiſcopi nuper vita defuncti ante tres menſes prodiderint Aumalio quosdam Gallos profugos, ex quibus fere ducenti ſunt interfecti: ſed multi exiſtimant, ipſos eo inductos a Richardo Palatino irritato repulſa, quam nuper paſſus eſt in petitione eius epiſcopatus, quem ſibi certo promiſerat; ſed Canonici prætulerunt ei Georgium Comitem a Manderſcheid: quamuis meo iudicio rectius feciſſent, ſi ita turbato rerum ſtatu, & præſertim in illis locis, Richardum elegiſſent. nam is auctoritate familiæ potuiſſet eos defendere, & reddere tutos a militum incurſionibus, quibus poſthac ſemper erunt obnoxii; ſed aiunt, Imperatorem omnino prohibuiſſe ne ipſum eligerent. Hunc habuit finem Orangii expeditio, tanto conatu & tantis ſumtibus ſuſcepta. Jam conſtituit cum parte ſuarum copiarum adiungere ſe Bipontino, ita vt ipſe, & Galli qui cum ipſo ſunt, efficiant primam aciem Bipontini exercitus; qui quantus ſit imperator tibi non eſt ignotum. Difficultas rei pecuniariæ multum moræ & impedimenti iniicit eius rebus: & præterea ſuſcipit hanc expeditionem non minore pompa & apparatu,

quam

quam ſi eſſet potens aliquis rex, ducit vltra triginta maiores bombardas, & magnum numerum ſatellitum corporis & nobilium puerorum, qui eum equitantem præcedant. Facta erat ei ſpes pecuniæ ex Anglia; ſed diſſidium ortum inter Anglos & Belgas huic rei impedimentum affert. Interea dum iſti tempus inutiliter terunt, Regis Galliæ copiæ conuenerunt, & Albanus ei miſit ſubſidia equitum ac peditum. Quod ſi ſe Rex opponat ad Vogeſum, erit ipſi difficillimum, cum tot præſertim impedimentis, ſuperare illos ſatis aſperos montes: quos ſi ſuperet, tamen excipiet eum Lotharingia, ita exhauſta, vt mihi pene videatur impoſſibile ibi exercitum alere. nam etiamſi ipſi ceſſerit hoſtis, tamen non procul diſcedet, & ſemper erit infeſtus iis, qui pabulatum emittentur; & iam exemplum Albani oſtendit, quam facile eiusmodi conatus eludantur. Hoc vnicum videtur mihi noſtris poſſe præſtare Bipontinus, quod ad hanc orientis partem diſtinebit non minimam partem virium Regis Galliæ: niſi forte idem accidat ipſi quod Orangio in Belgio, hoc eſt, vt non habeat obſequentem militem, & ſit paucorum dierum eius expeditio. Condæo & ſociis, ſi ſunt vera quæ audimus, res minus infeliciter ſuccedunt quam Belgis. dicuntur occupaſſe fere totam Aquitaniam, excepta Burdigala, hoc eſt, totum eum tractum Galliæ qui eſt a Pyrenæis ad Li-

gerim & ad ipſum Oceanum. Frater Regis inſtructior initio pene oppreſſit eos; ſed poſtea, collectis viribus, ipſum aſſiduis velitationibus fatigatum, coegerunt tota Aquitania cedere, & cis Ligerim regredi: & iam dicuntur ita adauctæ ipſorum vires, vt ſoluti omni metu exercitum in duas partes diuiſerint, vt poſſint plura oppida occupare. ſatis eſt autem Regis fratri, ſi arceat eos a tranſitu Ligeris. Inſtruxerunt ad Rochellam claſſem, quæ acceſſione Anglorum & Scotorum ita eſt adaucta, vt iam obtineat maris imperium in Cantabrico ſinu; nec poteſt quiſquam iam tuto nauigare ex Hiſpania in Belgium, aut ex Belgio in Hiſpaniam. Regina mater Regis Galliæ dicitur profecta in caſtra filii ſui Ducis Andegauenſis, vt ex loco propinquo agat cum Condæo de pace: quem non puto fore tam ſtolidum, vt ſibi denuo imponi patiatur. Nondum eſt compoſitum diſſidium exortum inter Anglos & Belgas ob pecuniam interceptam ab Anglis, quam Albanus dicit ad ſe pertinere, nec adhuc ſunt dimiſſi ii qui vtrinque traditi ſunt cuſtodiæ. Scribitur, excitatam ſeditionem eſſe in Hiſpania ab ipſis Mauris, qui regnum Granatæ incolunt, quorum dicuntur viginti millia iam eſſe in armis, & ab Alghierenſibus Afris, cum quibus inierunt fœdus, accepiſſe trecentos equites. depopulati agrum Granatenſem receperunt ſe in illos arduos montes qui ipſi vrbi imminent,

minent. vbique in Hiſpania conſcribitur miles ad eos opprimendos. Albanus ſuo more crudeliſſime ſæuit in inferiore Germania, nec facit finem afficiendi ſupplicio innocentes homines: nec eſt iam quisquam qui dubitet, opes eſſe plurimis exitio: parcitur enim iis qui ſunt tenuioris fortunæ. Illuſtriſſima princeps Orangii vxor heri hinc diſceſſit a marito euocata Spiram. Solita eſt me interdum ad ſe vocare, & mecum conferre de pluribus rebus, & omnino erat perſuaſa, me poſſe ipſi prædicere iſtorum motuum euentum: quare ſæpius coactus ſum iocis eludere eius interrogationes. miratus ſum autem eius ingenium & magnitudinem animi. Expoſtulabat ſemper mecum, quod non ſæpius ad ipſam accederem: quod ideo intermittebam, quia videbam ipſam impleri ab aſſentatoribus inaniſſimis ſpebus, quas nolebam meo ſuffragio approbare, nec etiam ipſi adimere, cum ſit vicina partui. Duxit ſecum viduam Brederodii ex familia Comitum a Noua aquila, mulierem modeſtiſſimam, quæ dicitur nuptura Electori Palatino. Cum ſcribo ad illuſtriſſimum noſtrum Principem, mitto litteras ad Landgrauium: quare oportet me inire aliam rationem ſcribendi ad amicos. Volebam iam ſcribere ad magnificum Dominum Carolouicium: ſed qui promittit ſe curaturum has litteras, non permittit, & ait mox diſceſſurum tabellarium. Sum futurus Francofurti

in mercatu. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia a Deo precor. Coloniæ Agrippinæ, Idibus Febr. MDLXIX.

XL.

JAm ſaltem deceret Germanicos principes cogitare de defendenda Germania, in qua audet Aumalius Galliæ Regis præfectus graſſari incendiis; non tam fiducia ſuarum virium, quam incuriæ ipſorum, vt nihil durius dicam. Quid autem magis ſceleratum cogitari poteſt, quam quod iam faciunt veſtri equites? qui cum illis in locis ſint non pauciores decem aut duodecim millibus ex exercitibus Orangii & Bipontini, patiuntur tamen ab exigua Gallorum manu hæc in ſuo conſpectu fieri. quod ſi quis eos moneat, quam ſit hoc indignum & pudendum, nihil aliud occinunt, quam ſibi non numerari ſtipendia. Totus ille pulcherrimus tractus Germaniæ a Seleſtadio ad Moguntiam eſt plane direptus & ſpoliatus; & præſertim ea quæ pertinent ad Argentoratenſem, Spirenſem, & Vormatienſem epiſcopos,& adComites qui ea loca inhabitant. Argentoratenſes induxerant in ſuam vrbem quinque millium hominum præſidium, quod cum quanto damno & periculo ipſorum fiat, nemo non videt: & præſidiario militi præfecerunt Nicolaum ab Aſtat, qui in hac infelice Orangii expeditione non reſpondit ſpei quam de eo plurimi conceperant. Orangius plane pe-

periit. non ſolum deſeritur a ſuis militibus,ſed etiam ipſi maximum ab eis periculum impendet: nam minitantur ſe iugulaturos ipſum, & poſtea deuaſtaturos Naſſauienſem comitatum. aliquot eorum turmæ defecerunt ad Regem Galliæ. Metuo ne Bipontino idem accidat quod Orangio: nam eius res ita procedunt,vt parum ſpei de toto eius inſtituto concipiam, & metuo ne milites ab eo conſcripti tandem conuertant arma in ipſum & Electorem Palatinum; quod vt perficiat nulli parcent pecuniæ Rex Galliæ & Albanus, quibus machinis quam facile expugnentur veſtri milites non eſt tibi ignotum. Solus Deus iſtis malis remedium inuenire poteſt, & videtur velle facere ſi vellemus ſeruari. Annon præter omnium exſpectationem interuenit diſſidium inter Anglos & Belgas,cui præbuit cauſſam Albanus ſua arrogantia & ſuperbia, qui eluſo conatu Orangii, eoque ex tota ſui Regis ditione eiecto, exiſtimauit ſe poſſe cuilibet impune inferre iniuriam? Quis autem exiſtimaſſet, Granatenſes quibus iam ſe adiunxiſſe dicuntur Cordubenſes, auſuros deficere a ſuo Rege, eo præſertim tempore quo res eius maxime florere videbantur? De his certiora ſcribam Francofurto. Mitto litteras ad magnificum Dominum Carolouicium, quas peto vt ei cures reddi. Ego tibi & tuis omnibus omnia fauſta & felicia precor. VI. Id. Mart. MDLXIX.

 XLI.

XLI.

DE afflictiſſimis noſtris rebus in Gallia vix audeo ad te ſcribere, cum non dubitem ſummum tibi dolorem paritura ea quæ ad te ſcribam. Decima tertia die Martii pugnatum eſt in Santonibus ad oppidum Cognac, & in ea pugna cecidiſſe dicitur Condæus cum multis aliis præſtantiſſimis viris. Aiunt tamen non eſſe pugnatum totis copiis, ſed Condæum cum haberet hoſtem in conſpectu, ſumtis ſecum duobus millibus equitum, valde dehortante Amiralio, feciſſe in eum impetum: & cum facile fudiſſet eos qui primi occurrerunt, in illo feruore victoriæ tam procul prouectus eſt, vt ab hoſtibus ſit circumuentus & interfectus, antequam ipſi ſubueniri poſſet. Vbi Amiralius certo reſciuit eum interiiſſe, & animaduertit ſuos eo caſu eſſe perterrefactos, abſtinuit a pugna, & ſuas copias ad loca tutiora ita reduxit, vt hoſtis non ſit auſus eum inſequi. Hæc ita narrantur ab iis qui veniunt ex aula Gallica, quæ eſt Metis; vbi cum circa horam decimam noctis auditum eſſet de morte Condæi, accenſis ignibus, diſploſis maioribus bombardis, & pulſatis campanis ſuam lætitiam ſunt teſtati; & ſtatim diruerunt templum in quo noſtri ſoliti erant habere ſuas conciones. Bipontinus cum Gallis quos ſecum habet & equitatu progreſſus eſt in Comitatum Burgundiæ, relicto Germanico peditatu non procul ab Argentorato: nam deerat

deerat pecunia ad numeranda ei ſtipendia. hodie audiui aliquid tandem eſſe numeratum, & ipſum iam progredi. Aumalius cum regiis copiis exſpectat Bipontinum in Lingonibus, ſe oppoſiturus ei, vt exiſtimo, ad Ararim: nam tum primum perueniet in ditionem Regis Galliæ. Ego de rebus omnibus pene deſpero, & iudico noſtros in Gallia periiſſe, & Germaniam verſari in ſummo periculo. Quid enim ſperari poteſt de Bipontini exercitu, rerum omnium egentiſſimo, cum (vt audio) Regius exercitus ſit longe numeroſior, & ab omnibus rebus inſtructior? nam præter equitem Germanicum, quem antea habebat, Philibertus Badenſis iam ducit ad eum mille & quingentos equites. Albanus vero quidquid habuit equitum Germanicorum, ac etiam aliquot Belgas, & viginti ſigna peditum eo miſit; & tanto conatu in noſtrorum perniciem incumbit, vt neglectis iniuriis, quibus Belgæ & Hiſpani affecti ſunt & quotidie afficiuntur ab Anglis, omnes ſuas vires in eos conuertat, exiſtimans ipſis oppreſſis facilem fore de reliquis victoriam. Si dilabatur miles Bipontini, quod fere neceſſario breui fiet, quis ſe opponet Gallis & Belgis in ditiones ipſius Bipontini & Palatini Electoris irrumpentibus, quod fere non dubito eos facturos? nam ad id eos inuitabunt iniuriæ quibus ſe laceſſitos putant, & quibus iam laceſſuntur. Quo iure enim deripit iam Bipontini exerci-

tus ditionem Regis Hiſpaniæ? an non ſatis fuit habere Regem Galliæ hoſtem? Si vrbes & principes qui ſunt vltra Rhenum iuuiſſent Bipontinum aliqua pecuniola, dudum inſtruxiſſet ſuum exercitum, & forte Condæus non periiſſet. nam interea dum cunctatur Bipontinus, licuit Regi per otium mittere Rhingrauios ſubſidio fratri; ſed maluerunt omnes eſſe otioſi ſpectatores ruinæ & damnorum quibus eos afficiebant milites, qui ex variis locis in ipſorum ditiones conflu erant, quam vel exiguam pecuniolam in ſuam ſalutem impendere. Sed quid facias iis, qui adeo ſunt amentes, vt in noſt orum cladibus exultent, cum tamen Regis victoria ſit certiſſima ipſorum pernicies? Dolor non permittit vt plura ſcribam, & peto vt litteras has exuras. Bene vale. Non eſt opus vt clariſſimum philoſophum Dominum Simonem Simonium, qui has tibi reddet, commendem: is ingenii ſui dotibus tibi ſatis erit commendatus. Francofurti, in die Dominicæ Reſurrectionis, MDLXIX.

XLII.

CRedo tibi fore iucundum videre incolumem noſtrum VVechelum, de cuius ſalute deſperabamus. non minimam partem ſuæ ſalutis debet ampliſſimo viro Domino Harlæo præſidi in ſupremo ſenatu Pariſienſi, cuius filium Dominum Carolum Harlæum, cui has

ad

ad te litteras dedi,tibicommendo. Proficiſcitur iſthuc vt longius abſit a conſpectu ruinæ miſerrimæ noſtræ patriæ, & conſtituit apud vos, aut VVittembergæ, per aliquot menſes conſiſtere. Quæ hic habemus de noſtris miſeriis, & de morte Domini de Luz, quem puto tibi non fuiſſe ignotum, poterunt ipſe & VVechelus tibi narrare. Quæ poſtea euenient ſcribam, & puto mihi non defuturam materiam, indies creſcente noſtra inſania;nec etiam occaſionem ſcribendi, quamdiu hic erunt illuſtriſſimi noſtri principis legati, quorum alterum tantum ſalutaui,nam iam primum reuertor Moguntia. Hæc ſcribo feſſus ex itinere. Bene vale. Francofurti, XXI April.MDLXIX.

XLIII.

PVto his diebus tecum fuiſſe clariſſimum virum dominum Doctorem Chriſtophorum Ehemium, ex quo ſcire potuiſti quæ hic habemus de miſeriis noſtris Gallicis. Principes Germanici cernunt noſtra pericula, & intelligunt ea paulo poſt ad ſe ventura, & ne videantur nos negligere proponunt edicta aduerſus eos , qui aduerſariis noſtris militant: quibus quidem aduerſarii noſtri grauiſſime offenduntur, nos autem nihil iuuamur. Bipontinus & Orangius hic accuſantur ab Auſtriacis & aliis ob damna, quæ ipſorum milites dederunt in Alſatia & vicinis locis, quæ ſunt maxima; ſed

credo iſtos accuſatores id tantum in ſpeciem facere, & nihil minus cogitare quam eos qui hic conuenerunt conſtituere judices iſtarum controuerſiarum, ſed ſuos gladios. Bipontini exercitus dicitur progreſſus ad Ararim, vbi Aumalius ſe ei opponit cum regiis copiis, & eum auro magis quam ferro oppugnat. Audio ipſum Bipontinum paucarum ſeptimanarum vſu edoctum ſe eſſe imparem regendo exercitui, conſtituiſſe redire domum & præficere ſuis copiis Orangium, quem tamen his diebus nonnulli dixerunt morbo extinctum eſſe: quod ſi verum eſt, paucis menſibus perierunt omnes qui ſe Hiſpanorum tyrannidi conati ſunt opponere. Reliquiæ exercitus Condæi ſe vtcunque tuentur, & iam repulerunt cum cæde regias copias ab obſidione oppidi Cognac. auctæ autem ſunt acceſſione quorundam Vaſconum, qui hibernarunt apud Toloſates, & eos miris modis vexarunt. Fama eſt hic, Albanum indixiſſe bellum Reginæ Angliæ, & iam inſtruere claſſem. Inſtruitur etiam claſſis in Italia, in quam imponuntur veterani Hiſpani, vt ipſi prætexunt, ad reducendum Carolum Archiducem & filium primogenitum Imperatoris ex Hiſpania: ſed non dubito, aliud agi. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia precor. Francofurti, pridie Cal. Maii MDLXIX.

XLIV.

MAnſi hic toto tempore conuentus, exiſtimans vix poſſe fieri, cum ex tam variis locis huc conuenirent principum legati, quin aliquid certi de tumultibus Gallicis plerumque haberent; ſed longe aliter accidit quam exiſtimaueram: nam pauciſſima de iis hic habuimus; & ea quidem tot mendaciis inuoluta, vt eſſet difficillimum aliquid veri inde elicere: quod fuit in cauſſa vt non ſæpius ad te ſcripſerim. Eſt quidem ex variis locis huc ſcriptum, vtrumque regium exercitum a noſtris eſſe cæſum; quod tamen fuiſſe confictum tempus ipſum poſtea docuit. Nihil habeo iam aliud quod pro vero affirmare poſſim, quam quod Bipontinus ſuperato Arare recta contenderit ad Ligerim, per miſeram noſtram Burgundiam, quem dicitur tranſiiſſe ad Phanum charitatis, vbi eſt iunctus ponte lapideo, ita vt exiſtimem ipſius & Amiralii copias eſſe coniunctas. Conati ſunt aliquandiu Bipontini iter impedire Aumalius & Nemorſus præfecti regiarum copiarum; ſed cum viderent ipſum vbique captare pugnandi occaſionem, mature ab eo inſequendo deſtiterunt, ne nolentes cogerentur pugnare, ſi ad regiones minus aſperas deueniretur. iam autem Aumalius & Nemorſus diuerſis itineribus ducunt copias ſuas, lue quæ in ipſorum caſtris graſſata eſt multum attritas, ad Andegauenſem Regis fratrem. Ne-

morſus adiunxit ſuis ad Lugdunum quatuor millia peditum & octingentos equites, qui Regi auxilio mittuntur ex Italia. Si totis copiis confligatur vbi erunt coniuncti omnes iſti exercitus, vires Galliæ plane concident. Sed ex pluribus locis ſcribitur, agi de pace: ſed quibus conditionibus iniri poſſit non video, quamdiu ſumma rerum erit penes Reginam & Cardinalem Lotharingum. Regem eſſe coniectum in maximas difficultates non eſt dubium: nam ipſi etiam eius ſubditi detrectant tam longam militiam, cum ipſorum agri deuaſtentur, & nihil in ſtipendia accipiant. Vrbs Pariſienſis conqueritur, ſibi data eſſe verba a Cardinale Lotharingo, qui vt ab ea extorqveret pecuniam poſt mortem Condæi, dixit noſtros non poſſe ad menſem vnum conſiſtere, nec eſſe quidquam metuendum a Bipontino, cum frater Aumalius haberet longe validiores copias quam ipſe. Præterea Rex iam non poteſt multum auxilii exſpectare ab Hiſpano, cum inualeſcere dicantur Granatenſes tumultus, ſuppeditantibus auxilia Afris & Turcis Alghierenſibus: quod ipſis iam eſt facile, occupata a Mauris Granatenſibus Malaga, vrbe maritima, vicina freto Herculeo, ad quam eſt portus totius illius litoris commodiſſimus. Angli etiam faceſſunt multum negotii Albano ſuis incurſionibus maritimis, quibus illud mare occcidentale ita infeſtum reddiderunt, vt plane ceſſent com-

commercia inter Belgas & Hiſpanos: & iam conſtituto emporio Hamburgi, multum decedet Belgis. In hoc conuentu hoc tantum eſt actum vt nihil ageretur, & omnia ſunt reiecta in proxima Imperii comitia, quæ ſub autumnum putant huc aut VVormatiam indicenda. Bene vale. Francofurti, XVI Junii MDLXIX. Proficiſcor hinc Argentoratum.

XLV.

FVit mihi gratiſſimum hic videre filium tuum Philippum, recens conſecutum honorificum ſuæ virtutis & eruditionis teſtimonium. Sum ei hortator, ne nimium tribuat blandis ſolicitationibus illius, qui cupit eum hic retinere, vt eius ingenio & laboribus ad ſua commoda abutatur, ſed potius ad vos redeat, & de rebus ſuis conſtituendis cogitet. ſcripſi de eo ad Doctorem Cracouium, & vtinam in re aliqua ei prodeſſe poſſem. Quæ hic habemus de rebus Gallicis ſunt incertiſſima. Ex variis locis huc eſt ſcriptum, a noſtris profligatum eſſe regium exercitum, & Aumalium cum multis cecidiſſe: ſed quia qui veniunt Lutetia & ex vrbe Metenſi nihil de eo ſciunt, puto non eſſe pugnatum: habeo & alias cauſſas quare id credam. Bipontinus feliciſſime duxit exercitum in intimam vſque Aquitaniam, & nihil diſſimulando apud milites plus eſt auctoritatis conſecutus, quam antea ſint conſecuti ii qui

ſibi valde ſapere videbantur; & quamuis dimidii tantum menſis ſtipendium ipſis numeraſſet, eorum tamen vbique promtiſſima opera dicitur vſus. Fama eſt, ipſum poſtquam ad Amiralium peruenit morbo interiiſſe, quod vereor ne ſit verum: nam audio legatum Regis Galliæ apud Heluetios de ea re ſcripſiſſe ad Senatum Baſileenſem & ad alios. Exercitus dicuntur eſſe in Petragoricis, non procul a Garumna fluuio, & aiunt in vtroque multos lue perire: quod non miror, cum maxima pars ipſorum tota hieme fuerit in caſtris. Dicunt, agi de pace, ſed quænam eius ratio iniri poſſit non video. Credo ipſum Regem iam eſſe in ſuo exercitu, & eo duxiſſe magnum numerum hominum imbellium: nam ſeuero edicto ex omnibus ſui regni prouinciis euocauit omnes minores ſexagenariis, qui antea militarunt: & eſt ita denudata præſidiis hæc pars Galliæ Orientalis, vt exiguus numerus militum magnas in ea turbas excitare poſſet. Audiuimus hic ante aliquot dies, Pontificem obſideri a Romanis in mole Adriani; ſed ea fama videtur paulatim euaneſcere. Hiſpani dicuntur rem non ſatis feliciter gerere cum Mauris Granatenſibus, idque fieri ducum imperitia. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia a Deo precor. Argentorati, Nonis Julii MDLXIX.

XLVI.

XLVI.

DOctore Simonio iſthuc proficiſcente, exiſtimaui nihil opus eſſe de rebus publicis ad te ſcribere, cum omnia quæ hic habemus ex ipſo audire poſſis: ſed tantum volui tibi gratulari recuperatam valetudinem, quam ſciui prius te recuperaſſe quam amiſiſſe. Hortator aliquoties fui D. Philippo, ne pateretur ſibi verba dari a Grempio: qui mihi ſemper viſus eſt velle abuti eius labore & induſtria ad ſua commoda; & conſului, ſi videat opus eſſe longo tempore ad diſſoluendam obligationem, qua alter credit aut fingit ſe credere eum eſſe ſibi obſtrictum, vt eam abrumpat potius quam hic fruſtra terat tempus, & tui ac matris maiorem rationem habeat quam Grempii, cum non ſit dubium, vobis fore gratiſſimum eius virtute in hac ætate frui. Cætera D Simonius: quo equum iamiam conſcenſuro hæc ſcripſi. Argentorati, XXIV Aug. MDLXIX.

XLVII.

IAM eo deductæ ſunt res infelicis noſtræ patriæ, vt nulla prorſus ſalutis ſpes ſupereſſe videatur. Noſtrorum bona vbique a regiis miniſtris diuenduntur, & paſſim in vrbibus innocentes homines interficiuntur: qui forte ſibi potuiſſent conſulere, niſi Rex initio belli profeſſus fuiſſet ſe eorum patrocinium ſuſcipere. Ipſis etiam pontificiis opes eripiuntur, nec par-

parcitur exteris; quod experti ſunt nuper Germani & Itali, qui Lugduni negotiantur: nam ſunt coacti Regi numerare ter centena millia francorum. Rex neſcio quo conſilio exercitum ſub finem Junii diſſoluit, & peregrinum militem per præſidia diſtribuit: quæ res noſtris rei bene gerendæ non paruam occaſionem præbuit. qua vſus Amiralius plurima oppida in Pictonibus, Petragoricis, & Lemouicibus occupauit: ſed cum tandem obſidione cinxiſſet Pictauienſem vrbem ampliſſimam & valido præſidio munitam, prior fortuna eum deſeruit; ita vt iam dicatur, non paucis ex ſuis amiſſis, coactus obſidionem ſoluere. Rex denuo colligit ſuum exercitum, & præter militem quem iam habet, exſpectat ex Germania duo millia equitum, ex Hiſpania quatuor millia peditum, & ex Heluetiis ſex millia. petit præterea a pontifice Romano & aliis principibus Italicis duodecim millia peditum & duo millia equitum. Vbi copiæ illæ conuenerint, difficile erit noſtris, reſiſtere: qui quidem hactenus ſe ita defenderunt vt non habeant regii quod multum glorientur. ſed ſunt tam pauci numero, ſi cum aduerſariis conferantur, vt ipſæ etiam victoriæ ſint eis pernicioſæ. Si quibus ex proceribus parcant gladii aut venena aduerſariorum, ii morbis abſumuntur, contractis ex immenſis laboribus quos perpetuo ſuſtinent. Adhæſerunt Orangio in ſua expeditione Belgica,

& poſt-

& poſtea ſecuti ſunt Bipontinum quinque aut ſex viri magni nominis in re militari, ex quibus vnus tantum ſupereſſe dicitur. Amiralius iam fere ſolus totam belli molem ſuſtinet, & tamen audio eſſe ſatis tenui valetudine, poſtquam venenum cum fratre Andeloto hauſit. Si hunc amittamus, non video quis ſit futurus par tantis rebus adminiſtrandis. Sed Deus eſt omnipotens, & nos etiam perire volentes ſeruare poteſt, & forte ſeruabimur cum nos maxime periiſſe iudicabimus. Ego exiſtimo D. Philippum ſub hoc tempus diſcedere Argentorato. oro Deum vt ſaluus & incolumis ad vos perueniat. Bene vale. Francofurti, XIIX Septembr. MDLXIX.

XLVIII.

Litteras tuas ſcriptas XIII Octobr. primum ante octiduum accepi: quæ quidem mihi multis nominibus fuerunt gratiſſimæ, & eo præcipue, quod liberarent me ſolicitudine de tua valetudine, de qua hic non ſatis læta audiueramus. Fuit etiam gratiſſimum intelligere, tandem prodituras in lucem Domini Philippi ſanctiſſimæ memoriæ epiſtolas ad te ſcriptas: quæ non ſolum erunt teſtes ad poſteritatem illius ſummæ & ſinceræ, ac nunquam interruptæ inter vos amicitiæ, ſed etiam (vt ſpero) erudient lectores de multis rebus grauiſſimis: cum ſciam, te fuiſſe illi vnicum

in

in, cuius ſinum omnes animi æſtus effunderet, & a quo in rebus grauiſſimis conſilium peteret. Soli fere veſtri vicini illius memoriam perſequuntur, & vt canes edentuli allatrant: in hac autem Germaniæ parte eius virtus paulatim ſuperat inuidiam. nam etiamſi non deſint hic qui eum mortuum oderint, ita tamen interdum excipiuntur, cum quid tale præ ſe ferunt, vt velint nolint cogantur ſaltem odium ſuum diſſimulare. De miſera mea patria quid aliud poſſum ſcribere, quam eam plane periiſſe? Haud dubie dudum ad vos peruenit fama infelicis illius pugnæ, in qua noſtri ab aduerſariis ſuperati amiſerunt omnia ſua impedimenta & bonam partem ſui peditatus. Amiralius vulneratus in mento perueniſſet in hoſtium poteſtatem, niſi ſui ipſum nolentem coegiſſent ſe recipere. Accepta ea clade cum noſtri viderent ſe eſſe longe inferiores aduerſariis, vrbium bonam partem quas in Pictonibus obtinebant deſeruerunt: quoniam reliquiæ pedeſtrium copiarum tam multis vrbibus præſidio muniendis ſufficere non poterant. Rex vrbes omnes quæ deditionem fecerunt benigne ſuſcepit, vt reliquas ad earum exemplum imitandum inuitaret. prima quæ ei reſtitit noſtra lingua nominatur Saint Jean d' Angeli in Santonibus: cuius cum partem muri maioribus tormentis deieciſſet, Itali quos ſecum habet primi omnium conati ſunt in eam ir-

rum-

rumpere; noſtri vero ſimulantes metum paulatim ceſſerunt, vt eos pertraherent in locum vbi fomenta ignis erant occultata, quæ vbi accendiſſent, ingens flammma repente exoriens plurimos ex iis qui in vrbem irruperant extinxit. reliqui ea ſuorum clade territi, omiſſa oppugnatione ſe in caſtra receperunt, nec poſtea potuerunt precibus nec minis a Rege adigi ad tentandam denuo irruptionem. Quare Rex deſperans ſe poſſe vrbem vi oppugnare, & iudicans longam obſidionem hoc anni tempore periculoſam, cum præſertim non abundaret commeatu, & varii morbi in exercitu graſſarentur, deduxit militem in hiberna. Amiralius interea traiecto Garumna cum ſuo equitatu profectus eſt in agrum Toloſatem, vt ſe coniungeret cum copiis quibus præſunt Montgomerius & ii qui a noſtris nominantur Vicecomites. Eius iter conati ſunt impedire Mareſchallus Danuilius frater Monmorancii, & Monlucius Aquitaniæ præfectus: ſed fruſtra. Ex variis locis iam ſcribitur agi de pace, ſed id videtur mihi fere incredibile. Ante menſem cœpit hic graſſari peſtis, qua extincti ſunt Melchior Speccerus & Elias Kiberus, Theologorum huius vrbis doctiſſimi. ſchola etiam facta eſt longe infrequentior. Ego omnia fauſta & felicia tibi & tuis a Deo precor. Ago tibi ſummas gratias pro tua humanitate & beneficiis erga Dominum Jacobum meum

meum popularem. Argentorati, XI Decembr. MDLXIX.

XLIX.

CUm nuper magnifico Domino Suendio tuum de ipſius virtute iudicium ſignificaſſem, ſtatim reſpondit ad meas litteras, & hoc ſuis adſcripſit: *Gaudeo D. Camerarium, virum doctiſſimum & optimum, recte de rebus publicis ſentientem, eſſe ſuperſtitem & incolumem. nam nuper de illius morte ad me ſcriptum fuerat. Rogo ergo vt illum meo nomine reſalutare atq; amicitiam & officia mea illi commendare velis.* Hæc Suendius. ad quem ſi ſcripſeris, facies ei rem gratam, & haud dubie ſtatim reſcribet: nam in ea re eſt admodum officioſus. Cum hinc diſcederet petiit a me, vt per occaſionem interdum ad ipſum ſcriberem: quod cum feciſſem, ſtatim reſcripſit, & ab eo tempore qualibet fere ſeptimana ad me litteras dare ſolet, & multis aliis officiis ſuam erga me beneuolentiam teſtatur. Rurſus facta nobis fuerat ſpes pacis ante paucos dies, quæ denuo euanuit. Petebant noſtri ſibi vbique in Gallia concedi liberam ſuæ religionis profeſſionem: ſe ſuis bonis, dignitatibus & muneribus reſtitui: vt ſententia & decreta aduerſus ipſos facta abolerentur: vt contractus cum exteris facti ab ipſis approbarentur. cautiones Regis arbitrio permittebant Quoniam Rex vix exiguam partem illius li-

ber-

bertatis in religione, quam petebant, voluit concedere; noſtrorum legati re infecta ab ipſo diſceſſerunt pridie Nonas huius menſis. Iam itaque pars vtraque parat ſe ad bellum, & Rex copias Germanicas & Helueticas denuo inducit in Galliam. Dux Ericus Brunſuicenſis emit a Rege prædia magni pretii, & pecunia quam numerare ipſum oportuit conſcribit militem quem in Galliam ducat. conſtituit, vt audio, in Galliam migrare, & quod ſupereſt vitæ ibi tranſigere. Rex iam eſt ad Aureliam, & frater eius in Biturigibus, vbi fiunt ab ipſis apparatus ad obſidenda ea oppida quæ noſtri poſſident ad Ligerim. Dicunt Amiralium propius ad ipſos cum copiis accedere, & iam penetraſſe in Aruerniam, & quædam oppida ibi occupaſſe. propinquitas eius addet noſtris animum, & regiis omnia difficiliora reddet. Ego omnia fauſta & felicia tibi precor, & toti honeſtiſſimæ tuæ familiæ. Argentorati, pridie Cal. Mart. MDLXX.

L.

SVb finem ſuperioris menſis miſi ad te litteras Norimbergam, in quibus ſcribebam, quam humaniter mihi reſpondiſſet Dominus Scuendius, cum eum tuo nomine ſalutaſſem, vt iuſſeras in poſtremis tuis litteris. hortabar etiam te, quod adhuc facio, vt ad ipſum interdum ſcriberes: nam ſcio id fore ipſi gratiſſimum.

mum. In Gallia pergimus inſanire, & etiamſi regii fere deſperent ſe poſſe noſtros opprimere, & plerique ipſorum pacem expetant, tanta tamen eſt auctoritas Cardinalis Lotharingici, vt ſolus poſſit ſalubria omnia conſilia impedire. Neſcio autem quo conſilio vbique diſſeminent, factam eſſe pacem, cum non ſit dubium id eſſe falſum. nam Heluetii recens conducti a Rege progrediuntur in Galliam, & iam Lutetia & Aurelia educta ſunt maiora tormenta, ad quatiendos muros earum vrbium quas noſtri ad Ligerim obtinent. Amiralius nequaquam deſpondet animum, ſed occupatis per hiemem non paucis oppidis in Toloſatibus, Gallia Narbonenſi, Allobrogibus, & Aruernia, ducit copias in Bituriges, vt vrbes eas tueatur quas Rex conſtituit oppugnare. Turcæ & Mauri nobis (vt ſpero) pacem conficient, ſi pergant, vt cœperunt, faceſſere domi negotium iis, qui ſuis ſceleratis conſiliis deteſtandum hoc bellum in Gallia alunt. Granatenſes nuper profligarunt copias Joannis ab Auſtria, qui celeri fuga vix ipſorum manus euaſit. Regem Alghieri affirmant adiutum a vicinis Mauris, nuper occupaſſe Tunetum nomine Imperatoris Turcici, & profligaſſe copias Regis Tunetani, qui cum duobus filiis vulneratis fugit Guletam, quæ præſidio Hiſpanico obtinetur & a Rege Alghieri iam obſidetur. Ariadenus Barbaroſſa pater huius regis Alghieri ante quinque

quinque & triginta annos eripuit Tunetum patri huius Regis, idque nomine Solimanni patris Selimi, qui iam regnat. Fortuna iſtorum trium iam eadem eſt quæ tunc temporis fuit parentum ipſorum. Supereſt quartus, Philippus Rex Hiſpaniæ, qui in hac tragœdia perſonam Caroli Imperatoris parentis ſuſtineat: cuius virtutis & fortunæ ſi eſſet hæres, ſicut eſt opum, Guletana munitio, quam adhuc obtinet, magnum adminiculum ad recuperandum Tunetum ei præberet. Actum fuit aliquandiu de fœdere inter principes Italicos ad defenſionem Italiæ aduerſus potentiam Turcicam; ſed poſtquam Florentinus animaduertit a Turcis imminere periculum Venetis, hæc conſilia interturbauit, exiſtimans ſe habiturum occaſionem amplificandi ſuas opes, ſi bello Turcico inuoluantur Veneti, qui ſoli ex Italis eius ambitioni frenos hactenus iniecerunt. Cupidus autem turbandi Italiam perſuadet furioſo Pontifici, vt Regium Lepidi & Mutinam repetat armis a Ferrarienſi, & auxilium ei ad eam rem promittit. Ferrarienſis munit ſe vicinorum fœderibus aduerſus Pontificis & Florentini vim, ita vt ſit periculum ne incendium illud bonam partem Italiæ peruagetur, niſi ſtatim reſtinguatur. Adoleſcentes quibus has ad te litteras dedi, commendo tibi: ſunt bonis parentibus nati, & in litteris bene inſtituti, ac ingeniis moderatis. Mitto ad te orationem ad me

me Lutetia miſſam, quam puto tibi non diſplicituram. is qui eam habuit eſt vir doctus & bonus, cum quo aliquando fui. Bene vale. Francofurti, X Cal. April. MDLXX.

LI.

VEreor ne minus verecunde quam deceat crebris meis commendationibus virtutem tuam exerceam, dum tantum eo reſpicio ne indigni ſint noſtra commendatione ii quos tibi commendo. Eius generis ſunt hi duo adoleſcentes Petrus & Philippus Canæi, nati familia longe præcipua inter eas quæ Lutetiæ veram religionem aperte profitentur, & quæ noſtro tempore protulit viros, qui opes quibus abundant tam liberaliter effuderunt in pauperes ſtudioſos & aliosbonos viros egentes, & adhuc in his calamitatibus effundunt, vt credam paucos ex principibus viris eſſe in ea re cum ipſis conferendos. Joannes Canæus, vir ſanctiſſimus & prudentiſſimus, adoleſcentum patruus, perſuaſus a me permiſit ipſis vt ſcholas veſtras inuiſerent: quæ peregrinatio vtinam ſit ipſis fauſta & felix, & inde redeant digni ſuis maioribus. nam in ipſorum familia videturab aliquot annis fuiſſe tanquam hæreditaria virtutum ſucceſſio. Cum tales habeant progenitores, nec ſint negligenter in pietate & litteris inſtituti, non dubito quin tibi futuri ſint cari, etiamſi nemo eos commendaret. Joannes Canæus

næus eorum patruus, tibi virtute & ætate ſimillimus, petiit a me vt te ſuo nomine ſalutarem. Si eius viri tibi nota eſſet virtus, ea ſalutatio haud dubie tibi foret gratiſſima. De noſtris Gallicis miſeriis nihil aliud habeo quam ſpem pacis non eſſe prorſus ſublatam. Reliqua ex Domino Carolo Harlæo intelliges. Dominus Ramus profectus eſt Norimbergam. diſcedenti dedi litteras ad D. Joachimum & ad D. Herdeſianum. Bene vale. Francofurti, pridie Non. April. MDLXX.

LII.

DUdum ad te nihil ſcripſi impeditus febre, in quam incidi Heidelbergæ; quæ non ſolum valetudinem meam afflixit, ſed etiam docuit me meam ætatem. cum enim eam inedia curare conſtituiſſem, vt ſolebam adoleſcens, & diſſuadentibus medicis iſti meo inſtituto pertinacius inſiſterem, vires meas ita proſtrauit morbus, vt hactenus me difficulter colligere potuerim. De hoc conuentu non eſt quod ſcribam, cum ne quidem id agatur vt in eo aliquid ſalutare reipublicæ decernatur. Quandocunque Imperatorem & eius liberos intueor, vix poſſum lacrymas continere. Auelluntur miſeri a parentum complexu, vt generoſa illa indoles, quæ in ipſorum vultu elucet, barbarica & illiberali inſtitutione corrumpatur: quod ne quidem diſſimulant Hiſpani, qui

nolunt eos morum informatores ſecum ex Germania ducere. Miror, quænam ſit imprudentia, (vt nihil durius dicam) ſe & ſuos perdere in gr tiam alterius: qui pro tot officiis & obſequiis nihil niſi inanes & longinquas ſpes procul oſtendit, vel potius iniurias refert. Nam ne quidem acceptis his pignoribus reſtituuntur Imperatori liberi qui ſunt in Hiſpania, ſed ea res in proximam æſtatem reiicitur. Reginæ Hiſpaniæ & fratrum diſceſſui dictus erat dies XXI huius menſis, ſed poſtea reiectus fuit in diem hodiernum, & tandem in Calendas Auguſti. Puto id fieri ob Anglos, qui mare ita infeſtant, vt ſit periculoſiſſimum ex Belgio in Hiſpaniam nauigare. In Gallia fit nobis maxima ſpes pacis. Amiralius acceſſit cum exercitu ad Lutetiam, perſuaſus (vt multi exiſtimant) ab iis proceribus, qui ſemper Regi fuerunt auctores pacis, vt Cardinali Lotharingo, & aliis qui ſalutaria ipſorum conſilia hactenus impugnarunt, metus incutiatur. Faxit Deus vt eiuſmodi conſilia felicem euentum ſortiantur, quæ de ea re audi-mus poſtea ſcribam. Initia belli Turcici non ſatis feliciter ſuccedunt Venetis. claſſis Turcica iam venit in mare Ionium, cum tamen pars Venetæ ſit adhuc in Creta, & pars in Corcyra, Hiſpanica autem in Sicilia. quare non poſſunt ſe ſine ſummo periculo coniungere, cum Turcica ſit intermedia. Aiunt etiam Turcas inuaſiſſe Cyprum, & bonam

nam partem incolarum ad ipſos defeciſſe. Ego tibi & honeſtiſſimæ tuæ familiæ omnia fauſta & felicia precor a Deo. Spiræ, XXVI Julii MDLXX.

LIII.

DOctore Philippo filio tuo ad te proficiſcente, de comitiis ſuperuacaneum eſſet ſcribere; cum quidquid hic eſt actum, ex ipſo poſſis intelligere. Sponſalibus Regis Galliæ dictus eſt dies ſolis: nondum tamen aduenit legatus qui a Rege mittitur, vt munera offerat Sponſæ, quamuis ante octiduum aduenerit Archidux Ferdinandus; ſed ſperamus eum venturum ad diem Saturni. Triduo aut quatriduo poſt ſponſalia, ſponſa a parentibus dimittetur, quæ factura eſt iter per ducatum Lucelburgenſem: & iam hic ſunt Dux Areſcotus & vxor Comitis Arembergii, vt ſint ipſi duces in eo itinere. Vt eo itinere, quod eſt incommodum, proficiſcatur haud dubie fit artibus Hiſpanorum, ne homines ſuſpicentur minus bene conuenire inter iſtos Reges ob factam pacem in Gallia contra voluntatem Hiſpanorum, cum Rex Galliæ committat ſuam ſponſam fidei Hiſpani, qui maluit ſuam hibernis tempeſtatibus committere quam Gallis, quæ tamen Dei beneficio incolumis in Hiſpaniam perueniſſe dicitur. Interea negligitur Lotharingus, qui ad eam excipiendam non ſolum vſitatos illos apparatus

fecerat, ſed etiam multa ædificauerat. Fratres Regis excipient ſponſam ad Macerias, primum regni Gallici oppidum in ripa Moſæ. Mater Regis cum duabus filiabus, nempe Lotharingica & ea quæ nondum nupſit, occurret ei Rhemis. inde deducetur Compendium, quod eſt oppidum in finibus Picardiæ ad Iſaram fluuium, octodecim miliaribus a Lutetia. In eo oppido aiunt celebrandas eſſe nuptias, quod valde miror, cum non ſit admodum amplum. Quid de hac pace Gallica ſperandum ſit adhuc ignoramus. omnes affirmant eſſe eximiam voluntatem Regis; ſed potentes ſunt factiones eorum qui pacem improbant, & aiunt noſtros in plerisque vrbibus duriter accipi. In Metenſi vrbe nec reſtituta eſt adhuc noſtra eccleſia, nec admittuntur in vrbem qui veniunt ex caſtris Amiralii. Iuſſus ab illuſtriſſimo noſtro Principe breui proficiſcar in Galliam, vnde ſi Deus volet me reuerti, meas ſpes tibi prolixe narrabo. Ego omnia fauſta & felicia tibi & tuis omnibus precor. Spiræ, XVII Octobr. MDLXX.

LIV.

GAudeo hac noua affinitate plures bonos viros accedere ad amicorum tuorum numerum, idque tibi gratulor, & precor vt hoc coniugium ſit fauſtum ac felix. Audiuimus hic illuſtriſſimum noſtrum Principem profe-

ctum

ctum ad Marchionem Electorem,& inde iturum Guſtrouiam in Mekelburgiam, quo etiam dicitur venturus Rex Daniæ. quare hic relictis equis noſtris plane defatigatis, cogimur ipſum, aliis conductis, illuc ſequi. In Gallia fuimus benigne & humaniter accepti. Multi ſperant pacem recens factam paulatim coalituram, præſertim ſi Turcæ hac æſtate Italiam vexare perrexerint. Rex omnino videtur eſſe cupidus pacis, & mater ipſius ab ea non abhorrere. penes hos duos autem eſt præcipua poteſtas. Hæc raptim, poſtea plura coram. Bene vale & amicos ſaluta. Lipſiæ, XXVII Febr. MDLXXI.

LV.

PRæfectus Cæſareæ Lotharii non venit huc, vt mihi ante duos menſes promiſerat; ſed ſignificauit mihi ſe proſpexiſſe liberis de præceptore, & ſe iam miſſurum eos in Galliam. Valde autem petiit a me vt ad ſe venirem, quo poſſet eos mihi adiungere comites in hoc itinere. Sed non potui in ea re gratificari ipſi: nam mihi faciendum eſt iter Heidelberga & Argentorato, vbi ſunt mihi quædam curanda. Doleo me non potuiſſe præſtare M. Gregorio Bersmanno id quod cupiui: ſemper enim eum dilexi & magni feci ex quo primum vidi Portæ; & ſcit, me fuiſſe ei auctorem, ne in eo carcere ætatem contereret. Quoniam autem ex tuis litteris animadverto, te de eo optime ſentire,

tire,

tire, ac eſſe tibi carum, nihil eſt quod non in eius gratiam facere cupiam. Omnes qui veniunt ex Gallia, & qui ad me ſcripſerunt, de pace bene ſperant: dicunt enim eximiam eſſe Regis voluntatem in ea tuenda, nec eſſe ipſi gratos quicunque contraria conſilia ſuggerunt. Ante menſem exorto tumultu Rothomagi triginta aut quadraginta ex noſtris fuerunt interfecti: quod vbi reſciuit Rex, ſtatim eo miſit cum copiis Mareſchallum Montmorancium, quem iuſſit ſeuere in auctores ſceleris animaduertere. quod non dubito eum facturum, cum ſit auctor huius pacis & eius conſeruandæ cupidiſſimus. Qui tamen poſtremi huc venerunt ex Gallia, dicunt Rothomagenſes ob illud factum miſiſſe quidem deprecatores in aulam, ſed tamen præſidia ſuæ vrbis portis impoſuiſſe. Si Rex in eos animaduertet ſeuere, ſtabiliet pacem; quod ſi tantum ſcelus condonauerit, noſtri haud dubie ſument noua conſilia, ne imparati opprimantur. Tyrannis Hiſpanorum in inferiore Germania fit indies magis ſæua, & iam magis graſſantur libidinibus quam rapinis. Miror Albanum, qui hactenus habitus eſt ſeuerus exactor diſciplinæ in ipſis etiam bellis periculoſis, hæc iam ferre quæ ne quidem ferunt remiſſi ac indulgentes duces: præſertim cum non ſit ſine metu; quod teſtantur præſidia militum quæ iam mittit in vrbes vicinas Galliæ,

&

& etiam in eas quæ ad Germaniam ſpectant. Veneti ſperant ſe pacem impetraturos a Turcis; ſi non impetrauerint, plane perierunt. Actum eſt diu de fœdere inter ipſos & Hiſpanos, ſed videntur potius dare operam, vt ſe mutuo fallant, quam vt periculis Italiæ imminentibus communi conſilio occurrant. Ego omnia fauſta & felicia tibi & tuis precor. Francofurti, XVI April. M DLXXI.

LVI.

HEri huc venit ſaluus & incolumis Dominus Carolus Harlæus, qui veſtram erga ſe humanitatem mirum in modum prædicat. Eo gratior fuit eius aduentus Parenti ſeni, quia ſciebat ſe ſua aſperitate præbuiſſe ei cauſſam ſuſcipiendi iter tam periculoſum. Omnia Dei beneficio ſunt hic tranquilla, nec quiſquam dubitat, Regem eſſe pacis cupidiſſimum. puto etiam matrem eius a bello ciuili plane abhorrere; & iam eſt in aula potens ea factio quæ ſemper bellum diſſuaſit, cuius factionis duces videntur eſſe Montmorancii. Factio autem contraria videtur plane excidiſſe gratia, & accuſantur eius capita quod tempore belli inierint cum exteris conſilia regi & regno pernicioſa. Spes eſt ſucceſſum habituram actionem de coniugio inter Reginam Angliæ & Andegauenſem Regis fratrem: quod ſi fiat, res eorum qui veram religionem profitentur hic erunt in

tuto. Eccleſiæ noſtræ vbique fere reſtituuntur, & ad eas fit denuo magnus hominum concurſus, & iam pontificii ſunt nobis minus moleſti quam a decem annis fuerint. Hottomannus totum fere quadriennium variis modis iactatus a fortuna, tandem rediit Bituriges ad ſuam profeſſionem, ſimul cum Hugone Donello ſuo collega, qui eandem quam ipſe fortunæ aſperitatem eſt expertus. Ramo quidem non permittitur vt hic publice doceat, ſed tamen non tantum numerat ei Rex ſtipendium, quod ob profeſſionem habuit, ſed etiam ad illud addit ſexcentos francicos annuos. Nondum potui eum ſalutare tuo nomine, nec etiam petere ab Harlæo an aliquid vellet ſcribere. nam vix acceperam tuas litteras, cum mihi dictum eſt, hunc cui litteras trado iamiam diſceſſurum; hanc autem ad te ſcribendi occaſionem nolui negligere. VVechelus iam reſtituit ſuam typographiam, quem puto intra biduum aut triduum facturum initium imprimendi a tuo Xenophonte. Ego omnia fauſta & felicia tibi & tuis precor. Lutetiæ, XIX Junii M DLXXI.

LVII.

WEchelus ſumma diligentia id egit, vt ſuam typographiam mature reſtitueret; ſed id non potuit perficere ante initium ſuperioris menſis. Itaque non poterit ante proximum mercatum Francofurdienſem abſolui tuus Xenophon,

nophon; vt poteris coniicere ex pagella quam ad te mitto, quæ hodie fuit impreſſa. Lactat nos adhuc ſpes coniugii Anglici, in quo huius regni ſalutem conſiſtere exiſtimo. Per aliquot ſeptimanas de eo optime ſperauimus, abrupta poſtea fuit noſtra ſpes, & denuo ita reſtituta, vt certior quam antea vnquam credatur. Nihil non faciunt Pontificii vt id impediant; ſed Turcæ imminentes Italiæ eorum conſilia perturbant. Hic omnia tranquilla. innumeri adoleſcentes Germani ſtudiorum cauſſa huc confluunt. Dicunt etiam Regis ſororem certo nupturam Principi Nauarro: nam certum eſt eſſe denegatam Regi Portugalliæ. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia precor, & peto vt Ludouicus curet litteras quas hic adiunxi. Non potui ad ipſum ſcribere. Lutetiæ, II Julii MDLXXI.

LVIII.

NOs tandem excidimus illa præclara ſpe quam conceperamus de coniugio Anglico, & quidem noſtra ſtultitia, vel potius Hiſpanorum induſtria: qui nobis perſuaſerunt, non eſſe ex re noſtra ſtabilire pacem & tranquillitatem huius regni, & horum duorum regnorum coniunctione repagulum obiicere ipſorum ambitioni & arrogantiæ. Sperauimus etiam ante paucos dies ſucceſſurum coniugium Principis Nauarræ cum ſorore Regis, ſed

ſed ea fama paulatim conticeſcit. nam Regina Nauarræ, quæ dicebatur Rochella iam ventura in aulam cum filio, cum eo profecta eſt ad Pyrenæos, & ſuo itineri prætexit aduerſam valetudinem, ob quam adeundæ ſint ipſi thermæ. Amiralius vocatur a Rege in aulam, quo putamus eum venturum intra octiduum. plerisque non probatur eius conſilium: nam non eſt dubium, quin multos ſit habiturus inſidiatores; ſed credo ipſum eſſe eius ſententiæ cuius fuit Julius Cæſar, qui iudicavit ſatius eſſe ſemel mori quam ſemper timere. Omnes affirmant, Regem eſſe propenſiſſimo in ipſum animo; quod facile credo, ſed Rex regitur ab aliis. Hæc ſunt in manu Dei, quem oro ne patiatur opprimi virum illum, quem iudico multis præclaris virtutibus ornatum, nec dubito quin eius incolumitas ſit Regi & huic regno vtilis. Tuus Xenophon (vt antea ſcripſi) nondum eſt abſolutus. Studia hic paulatim reſurgunt; ſed ii qui noſtram religionem profitentur arcentur a profeſſionibus. Jeſuitæ obſcurant reliquorum profeſſorum nomen, & paulatim adducunt in contemtum Sorboniſtas. Eſt autem hic ſumma omnium rerum caritas, non tam ob penuriam, quam ob auaritiam ciuium: nam hoſpites exigunt etiam a tenuioribus ſenos coronatos in menſem pro victu & habitatione. Proficiſcitur ad vos Annæus a Petrauiua, nobilis adoleſcens, ſplendida

fami-

familia non procul hinc natus, quem tibi commendo. Ego omnia fauſta & felicia tibi precor ac toti tuæ familiæ. Lutetiæ, XXVI Auguſti MDLXXI.

LIX.

MItto ad te conditiones pacis factæ in Gallia, de qua omnes qui inde veniunt optime ſperant: nam eius conſeruandæ Rex videtur eſſe cupidiſſimus, & noſtris, qui iam redierunt Lutetiam, promiſſa in Edicto ſunt bona fide obſeruata, & ſeuere animaduerſum eſt in eos qui ipſos iniuria affecerunt. In hoc eſt Rex iam præcipue intentus vt exercitus dimittantur; ſed in dimittendo externo milite plurimum eſt difficultatis ob pecuniæ penuriam. Reliquiæ copiarum Bipontini ſunt in Lingonibus, exſpectantes, vt exiſtimo, ſtipendiorum ſolutionem. Rex promittit noſtris ad perſoluenda ſua debita vicies centena millia francorum; ſed iam dat tantum ter centena, vt poſſit ſtatim dimitti miles Germanicus. De deductione filiæ Imperatoris in Galliam credo nihil poſſe certo conſtitui ante reditum militis Germanici ex Gallia. Hiſpanica adhuc hæret in Belgio: ſperant Belgæ eam apud ſe hibernaturam, quod non credo. quanta enim cum iniuria Imperatoris in filiæ educatione plus haberetur fidei Albano quam ipſis parentibus? Putant Reginam Angliæ adferre aliquid impe-

dimenti ad profectionem in Hiſpaniam, cum habeat claſſem inſtructiorem Belgica. Albanus autem putat, non decere maieſtatem ſui Regis, ita deduci ad ipſum ſponſam, vt alienæ iniuriæ ſit obnoxia. Regina Angliæ miſit legatum Spiram, qui factum ipſius apud Imperatorem excuſet: dicit enim, ſe non inſtruxiſſe claſſem, vt vim cuiquam inferat, ſed vt propellat ſi inferatur; & ſe habere cauſſas, quare ſuſpectas habeat Albani molitiones. promittit autem Imperatori, ſe ſua claſſe deducturam in Hiſpaniam filiam, ſi id ipſe velit. Exſpectatur Spiræ Archidux Ferdinandus, qui putatur deducturus Reginam Galliæ per ſuam ditionem vſque ad fines Lotharingiæ, vbi excipietur ab ipſo Lotharingiæ duce. Die ſolis proxima dicuntur celebratæ Lutetiæ nuptiæ Ducis Guiſii & viduæ Principis Portiani, quæ eſt ex Niuernenſi ſeu Cliuenſi familia. Qui venerunt huc Venetiis dixerunt, Turcas ſuperatos eſſe nauali pugna a Venetis non procul a Rhodo; ſed reliqui Itali negant id eſſe verum, & claſſem Venetam eſſe adhuc in Creta, in eaque graſſari peſtem. Fœdus, de quo dudum eſt actum, inter Pontificem, Hiſpanum, & Venetos ictum eſſe dicitur. Faxit Deus vt ſit fauſtum & ſalutare orbi Chriſtiano: quamuis exiſtimem non eſſe nobis inutile, vt vires Hiſpanorum Turcicis bellis diſtineantur, ne ſit eis otium ad turbandos vicinos, ſicut hactenus fecerunt.

cerunt. Commendo tibi populares meos, quibus has ad te litteras dedi. abutor in ea re humanitate tua, & ſaltem ætatis tuæ ac valetudinis rationem habere deberem; ſed hæc ita a me petuntur, vt ea denegare non poſſim. Ego tibi & toti tuæ familiæ omnia fauſta & felicia precor. Francofurti, XX Septembr. MDLXXI.

LX.

Fuit mihi triſtiſſimum nuntium de morte coniugis tuæ: tum quod dolerem tantæ virtutis matronam tibi & tuis eſſe ereptam, tum quod eius ſummam erga me humanitatem & beneficentiam tam ſæpe ſim expertus, vt me ipſi plurimum debuiſſe agnoſcam. Scio neminem eſſe te inſtructiorem iis remediis, quæ eiuſmodi vulneribus adhiberi ſolent: quare ſtulte facerem, ſi crederem me aliquid adferre poſſe quod tibi dolorem leniat, niſi forte illud vnicum, quod me iſtius tui doloris participem profitear. Cum aliquando cum Domino Philippo piæ memoriæ de tua familia colloquerer, iudicauit eam omnium mulierum, quas vnquam nouiſſet, prudentiſſimam. Teſtes ſunt mihi plerique mei amici, quod ipſis ſæpe dixerim, me familiam nullam vidiſſe cuius diſciplina mihi tantopere placuerit: eo quod omnia bono ordine & ſine ſtrepitu adminiſtrarentur, liberi miniſtrique eſſent obſequentiſſimi, materfamilias autem quemlibet

 ſui

ſui officii potius blande admoneret quam imperaret ipſis. Si quid in tam acerbo caſu leuamen aliquod doloris adferre poteſt, illud eſt quod iam beatiore vita fruitur, & erepta ſit iis calamitatibus quæ orbi Chriſtiano non iam impendent, ſed ipſum euertunt. Nondum enim ſedatæ ſunt tempeſtates Gallicæ, nec actio de pace eum habuit ſucceſſum quem ſperabamus. Nam ſolæ vrbes Rupella & Montalbanum acceptarunt conditiones pacis a Rege propoſitas; reliquæ autem & Nobilitas eas reiecerunt & adhuc arma retinent. Multi exiſtimant Andegauenſis diſceſſum tranquillitatis aliquid Galliæ allaturum; ſed vix id audeo ſperare. nec puto, eos qui gubernant, poſſe ſe explicare ex conſiliis quibus ſe inuoluerunt, nec facile etiam noſtri ipſis fidem habebunt. Res Belgicæ non curabuntur iis remediis quæ hactenus adhibuit Albanus. Poſt Harlemi deditionem ſperauit ſe ſæuiendo frangere poſſe animos aduerſariorum; ſed tantum abeſt vt aliquid ea ratione profecerit, vt etiam eos pertinaciores reddiderit, ita vt omni ſpe concordiæ depoſita iam militem ex Gallia & Anglia ad ſe vocent, & ſi quis Hiſpanus in eorum manus incidit, putant ſibi licere in ipſum ſæuire. Hiſpani adhuc hærent Meſſanæ, vbi ſuo more omnia cunctantius agunt. dicunt ſe ante finem æſtatis inuaſuros Alghieram & Tunetum, ſed vereor ne non faciant. Sub initium Augu-

gusti

guſti claſſis Turcica inuaſura Crotonem, progreſſa eſt ad Lacinium promontorium, ſed oborta tempeſtate vi ventorum reiecta eſt in Corcyram & Ambracium ſinum. Scripſi antea, Andream Dudithium in comitiis Polonicis nauaſſe ſedulam operam Roſenbergio & Berneſtenio legatis Imperatoris, & finitis comitiis veniſſe huc & eſſe factum ſupplicem Imperatori. Huc veniens attulit mihi litteras Cracouia a quibusdam amicis, & ſignificauit ſe eſſe cupidum contrahendæ mecum amicitiæ. Acceſſi ad eum,& de variis rebus collocutus miratus ſum eius ingenium & facundiam & eruditionem multiplicem. Nuper ad me Cracouia litteras dedit, in quibus oſtendit ſe eſſe tui amantiſſimum, & petiit vt de tua valetudine ad ipſum ſcribam. Bene & feliciter vale. Viennæ, XXI Septembr. MDLXXIII.

LXI.

IAm hic renouantur certamina de religione quæ mouebantur ante quinquennium, quando te huc vocauit Imperator. Nobilitas quæ puriorem religionem profitetur, petit templum in hac vrbe, in quo ſua ſacra peragat. Putabant multi, Imperatori non bene conuenire cum Romano pontifice. Res Principum ſunt plenæ ſimulationum, & in nulla re magis luditur noſtro tempore quam in religione. Heri hic fuit ſepulta vxor Comitis Julii Salmen-

ſis, quæ fuit ex Turzonum familia. Funus per vrbem proſecuta eſt Nobilitas quæ puriorem religionem profitetur, quæ admodum frequens conuenerat. ceremoniæ fuerunt Lutheranæ, vt loquuntur: eſt enim habita concio extra vrbem, & poſtea ad templum Dorotheæ, vbi ſunt ſepulchra Comitum Salmenſium, Fremebant monachi & ſacerdotes, & per Imperatorem conati ſunt hanc rem impedire, ſed non potuerunt. Ne tamen ſoli nihil agerent, imitati ſunt Diogenem voluentem ſuum dolium. nam interea dum ducebatur funus, pulſarunt omnibus templis ſuas nolas, & ingentem ſtrepitum tota vrbe ediderunt. Imperator fruitur commodiſſima valetudine cum magna gloria noſtri Cratonis, qui iam ſolus eius rei curam habet. Scribuntur ad eum læta Conſtantinopoli, fit enim ei certa ſpes (vt audio) prorogandarum induciarum, ita vt noſter Dominus Dauid Vngnadius videatur feliciter rem gerere. Ioannes ab Auſtria relicto in Africa præſidio octo millium militum, & rebus ibi conſtitutis, reuerſus eſt Neapolim XII die ſuperioris menſis, & ſic tota eius expeditio fuit triginta ſex aut ſeptem dierum. Proficiſcitur in Hiſpaniam, & ducit ſecum tanquam in triumfum Regem Amidam, qui a Turcis fuerat pulſus Tunete, vnde prius patrem expulerat; & putabat hanc expeditionem ſuſceptam vt in regnum reſtitueretur.

Præ-

Præfecerunt Tuneti Mulcametem eius fratrem, ita tamen ne regium nomen vſurparet antequam ei concedatur a Rege Hiſpaniæ. Sic Hiſpani more veterum Romanorum dant & adimunt regna. Imperator & Rex Hungariæ inuitati ſunt Cracouiam ad Regis inaugurationem, quo mittent ſplendidam legationem. Rex Hungariæ & Archidux Erneſtus diſcedent hinc XXVI die huius menſis, profecturi Pragam ad regni Bohemici conuentus peragendos. Peto ne graueris mandare tuo miniſtro, vt litteras ad VVechelum alicui Francofurtenſi tradat. Viennæ, XXIII die menſis Decembr. MDLXXIII. Ego tibi & toti familiæ tuæ omnia fauſta & felicia precor.

LXII.

Legatio miſſa ex aula ad vos & ad VVittebergenſes valde nos hic conturbauerat. nā magnificus Dominus Chriſtophorus Carolouicius, qui fuerat apud illuſtriſſimum Principem cum legati dimitterentur, nobis iſtorum motuum initia explicauerat. Sed ex tuis litteris ad Cratonem, & aliorum ad me, video, iſtarum rerum auctores minus vobis nocuiſſe quam cupiuerint. Sub id tempus, quo hæc apud vos mouebantur, factum eſt hic decretum de interdicendis libris Tigurinorum & Geneuenſium, quod tamen nondum eſt promulgatum; ſed iuſſi ſunt bibliopolæ indicem libro-

vrbe fieri, vbi pleriſque perſuaſum eſt, tam pontificiis quam noſtris, Imperatorem interdixiſſe ne religionis cauſſa amplius conuenirant ii qui a Romana eccleſia deſciuerunt. Ita autem ſe res habet. Soliti ſunt noſtri conuenire ad ſua ſacra & conciones in ædibus Baronis a Rockendorff Auſtriæ Mareſchalli; & quando hinc abfuit, conuenerunt in ædibus Baronis ab Eyzing præfecti inferioris Auſtriæ. Legatus autem Hiſpanicus habitat plane e regione illarum ædium, ita vt concionantis & canentium vocem potuerit facile ex ſua habitatione exaudire. Quare ſæpius petiit ab Imperatore, & quidem (vt aiunt) Principis ſui nomine, ne pateretur illis in ædibus noſtros habere ſuos conuentus, quod tamen hactenus obtinere non potuerat. Die vero ſolis Hiſpanus, neſcio quam ob cauſſam, factus eſt voti ſui compos. Imperator enim interdixit Domino ab Eyzing ne amplius pateretur in ſuis ædibus conciones haberi. quem cum Imperator audiuiſſet non obtemperare interdicto, denuo interdixit, addita etiam (vt aiunt) aliliqua interminatione. Significauit itaque venientibus in ſuas ædes, quæ mandata ab Imperatore accepiſſet. Quare perturbati quidam ex nobilitate, qui vna cum aliis aduenerant, Imperatorem ſtatim adierunt, ab eoque petierunt ſibi indicari cauſſam ob quam interdixiſſet ne religionis cauſſa vt antea conuenirent.

Impe-

Imperator reſpondit, ſe nequaquam interdixiſſe. Cum autem alii dixiſſent ipſi ea quæ a Domino ab Eyzing audiuerant, ſubiecit, ſe tantum interdixiſſe ne in illis ædibus conuenirent. Ergo, dixerunt, nobis licet in aliis ædibus conuenire? cum reſpondiſſet, licere; Dominus ab Enzersdorff duxit concionatorem in ſuas ædes, in quibus bis eo die habita eſt concio. Quia vero fama eorum quæ Domino ab Eyzing acciderant iam erat diſſeminata per vrbem, Pontificii fremebant, exiſtimantes noſtros mandata Imperatoris contemnere. Noſtri autem, quorum maxima pars ignorabat quid reſponſi nobilitas ab Imperatore accepiſſet, conturbabantur; & eo magis quia in aliquibus locis, & præſertim apud Jeſuitas, ſubornati erant pueri qui ipſis prætereuntibus inſultarent. Puto hæc ita eſſe geſta: nam de iis inquiſiui quanta potui diligentia. Turcæ nobis vicini fuerant per aliquot ſeptimanas ſolito quietiores; ſed ſuperioribus diebus Strigonienſes conati ſunt ex improuiſo occupare munitionem Dotis, quæ non procul abeſt a Komorra, a qua tamen ſunt repulſi virtute præſidiariorum militum. Munera quæ mitti debent Conſtantinopolim ſunt huc allata Auguſta ante quatuor aut quinque dies, & iuſſus eſt ſe ad iter præparare is qui ea perferet; quamuis nondum

Digitized by Google

dimenti ad profectionem in Hiſpaniam, cum habeat claſſem inſtructiorem Belgica. Albanus autem putat, non decere maieſtatem ſui Regis, ita deduci ad ipſum ſponſam, vt alienæ iniuriæ ſit obnoxia. Regina Angliæ miſit legatum Spiram, qui factum ipſius apud Imperatorem excuſet: dicit enim, ſe non inſtruxiſſe claſſem, vt vim cuiquam inferat, ſed vt propellat ſi inferatur; & ſe habere cauſſas, quare ſuſpectas habeat Albani molitiones. promittit autem Imperatori, ſe ſua claſſe deducturam in Hiſpaniam filiam, ſi id ipſe velit. Exſpectatur Spiræ Archidux Ferdinandus, qui putatur deducturus Reginam Galliæ per ſuam ditionem vſque ad fines Lotharingiæ, vbi excipietur ab ipſo Lotharingiæ duce. Die ſolis proxima dicuntur celebratæ Lutetiæ nuptiæ Ducis Guiſii & viduæ Principis Portiani, quæ eſt ex Niuernenſi ſeu Cliuenſi familia. Qui venerunt huc Venetiis dixerunt, Turcas ſuperatos eſſe nauali pugna a Venetis non procul a Rhodo; ſed reliqui Itali negant id eſſe verum, & claſſem Venetam eſſe adhuc in Creta, in eaque graſſari peſtem. Fœdus, de quo dudum eſt actum, inter Pontificem, Hiſpanum, & Venetos ictum eſſe dicitur. Faxit Deus vt ſit fauſtum & ſalutare orbi Chriſtiano: quamuis exiſtimem non eſſe nobis inutile, vt vires Hiſpanorum Turcicis bellis diſtineantur, ne ſit eis otium ad turbandos vicinos, ſicut hactenus fecerunt.

cerunt. Commendo tibi populares meos, quibus has ad te litteras dedi. abutor in ea re humanitate tua, & ſaltem ætatis tuæ ac valetudinis rationem habere deberem; ſed hæc ita a me petuntur, vt ea denegare non poſſim. Ego tibi & toti tuæ familiæ omnia fauſta & felicia precor. Francofurti, XX Septembr. MDLXXI.

LX.

FUit mihi triſtiſſimum nuntium de morte coniugis tuæ: tum quod dolerem tantæ virtutis matronam tibi & tuis eſſe ereptam, tum quod eius ſummam erga me humanitatem & beneficentiam tam ſæpe ſim expertus, vt me ipſi plurimum debuiſſe agnoſcam. Scio neminem eſſe te inſtructiorem iis remediis, quæ eiusmodi vulneribus adhiberi ſolent: quare ſtulte facerem, ſi crederem me aliquid adferre poſſe quod tibi dolorem leniat, niſi forte illud vnicum, quod me iſtius tui doloris participem profitear. Cum aliquando cum Domino Philippo piæ memoriæ de tua familia colloquerer, iudicauit eam omnium mulierum, quas vnquam nouiſſet, prudentiſſimam. Teſtes ſunt mihi pleriqne mei amici, quod ipſis ſæpe dixerim, me familiam nullam vidiſſe cuius diſciplina mihi tantopere placuerit: eo quod omnia bono ordine & ſine ſtrepitu adminiſtrarentur, liberi miniſtrique eſſent obſequentiſſimi, materfamilias autem quemlibet

ſui officii potius blande admoneret quam imperaret ipſis. Si quid in tam acerbo caſu leuamen aliquod doloris adferre poteſt, illud eſt quod iam beatiore vita fruitur, & erepta ſit iis calamitatibus quæ orbi Chriſtiano non iam impendent, ſed ipſum euertunt. Nondum enim ſedatæ ſunt tempeſtates Gallicæ, nec actio de pace eum habuit ſucceſſum quem ſperabamus. Nam ſolæ vrbes Rupella & Montalbanum acceptarunt conditiones pacis a Rege propoſitas; reliquæ autem & Nobilitas eas reiecerunt & adhuc arma retinent. Multi exiſtimant Andegauenſis diſceſſum tranquillitatis aliquid Galliæ allaturum; ſed vix id audeo ſperare. nec puto, eos qui gubernant, poſſe ſe explicare ex conſiliis quibus ſe inuoluerunt, nec facile etiam noſtri ipſis fidem habebunt. Res Belgicæ non curabuntur iis remediis quæ hactenus adhibuit Albanus. Poſt Harlemi deditionem ſperauit ſe ſæuiendo frangere poſſe animos aduerſariorum; ſed tantum abeſt vt aliquid ea ratione profecerit, vt etiam eos pertinaciores reddiderit, ita vt omni ſpe concordiæ depoſita iam militem ex Gallia & Anglia ad ſe vocent, & ſi quis Hiſpanus in eorum manus incidit, putant ſibi licere in ipſum ſæuire. Hiſpani adhuc hærent Meſſanæ, vbi ſuo more omnia cunctantius agunt. dicunt ſe ante finem æſtatis inuaſuros Alghieram & Tunetum, ſed vereor ne non faciant. Sub initium Au-

guſti

guſti claſſis Turcica inuaſura Crotonem, progreſſa eſt ad Lacinium promontorium, ſed oborta tempeſtate vi ventorum reiecta eſt in Corcyram & Ambracium ſinum. Scripſi antea, Andream Dudithium in comitiis Polonicis nauaſſe ſedulam operam Roſenbergio & Berneſtenio legatis Imperatoris, & finitis comitiis veniſſe huc & eſſe factum ſupplicem Imperatori. Huc veniens attulit mihi litteras Cracouia a quibusdam amicis, & ſignificauit ſe eſſe cupidum contrahendæ mecum amicitiæ. Acceſſi ad eum, & de variis rebus collocutus miratus ſum eius ingenium & facundiam & eruditionem multiplicem. Nuper ad me Cracouia litteras dedit, in quibus oſtendit ſe eſſe tui amantiſſimum, & petiit vt de tua valetudine ad ipſum ſcribam. Bene & feliciter vale. Viennæ, XXI Septembr. MDLXXIII.

LXI.

JAm hic renouantur certamina de religione quæ mouebantur ante quinquennium, quando te huc vocauit Imperator. Nobilitas quæ puriorem religionem profitetur, petit templum in hac vrbe, in quo ſua ſacra peragat. Putabant multi, Imperatori non bene conuenire cum Romano pontifice. Res Principum ſunt plenæ ſimulationum, & in nulla re magis luditur noſtro tempore quam in religione. Heri hic fuit ſepulta vxor Comitis Julii Salmen-

ſis,

ſis, quæ fuit ex Turzonum familia. Funus per vrbem proſecuta eſt Nobilitas quæ puriorem religionem profitetur, quæ admodum frequens conuenerat. ceremoniæ fuerunt Lutheranæ, vt loquuntur: eſt enim habita concio extra vrbem, & poſtea ad templum Dorotheæ, vbi ſunt ſepulchra Comitum Salmenſium. Fremebant monachi & ſacerdotes, & per Imperatorem conati ſunt hanc rem impedire, ſed non potuerunt. Ne tamen ſoli nihil agerent, imitati ſunt Diogenem voluentem ſuum dolium. nam interea dum ducebatur funus, pulſarunt omnibus templis ſuas nolas, & ingentem ſtrepitum tota vrbe ediderunt. Imperator fruitur commodiſſima valetudine cum magna gloria noſtri Cratonis, qui iam ſolus eius rei curam habet. Scribuntur ad eum læta Conſtantinopoli, fit enim ei certa ſpes (vt audio) prorogandarum induciarum, ita vt noſter Dominus Dauid Vngnadius videatur feliciter rem gerere. Ioannes ab Auſtria relicto in Africa præſidio octo millium militum, & rebus ibi conſtitutis, reuerſus eſt Neapolim XII die ſuperioris menſis, & ſic tota eius expeditio fuit triginta ſex aut ſeptem dierum. Proficiſcitur in Hiſpaniam, & ducit ſecum tanquam in triumfum Regem Amidam, qui a Turcis fuerat pulſus Tunete, vnde prius patrem expulerat; & putabat hanc expeditionem ſuſceptam vt in regnum reſtitueretur.

Præ-

Præfecerunt Tuneti Mulcametem eius fratrem, ita tamen ne regium nomen vſurparet antequam ei concedatur a Rege Hiſpaniæ. Sic Hiſpani more veterum Romanorum dant & adimunt regna. Imperator & Rex Hungariæ inuitati ſunt Cracouiam ad Regis inaugurationem, quo mittent ſplendidam legationem. Rex Hungariæ & Archidux Erneſtus diſcedent hinc XXVI die huius menſis, profecturi Pragam ad regni Bohemici conuentus peragendos. Peto ne graueris mandare tuo miniſtro, vt litteras ad VVechelum alicui Francofurtenſi tradat. Viennæ, XXIII die menſis Decembr. MDLXXIII. Ego tibi & toti familiæ tuæ omnia fauſta & felicia precor.

LXII.

Legatio miſſa ex aula ad vos & ad VVittebergenſes valde nos hic conturbauerat. nā magnificus Dominus Chriſtophorus Carolouicius, qui fuerat apud illuſtriſſimum Principem cum legati dimitterentur, nobis iſtorum motuum initia explicauerat. Sed ex tuis litteris ad Cratonem, & aliorum ad me, video, iſtarum rerum auctores minus vobis nocuiſſe quam cupiuerint. Sub id tempus, quo hæc apud vos mouebantur, factum eſt hic decretum de interdicendis libris Tigurinorum & Geneuenſium, quod tamen nondum eſt promulgatum; ſed iuſſi ſunt bibliopolæ indicem libro-

librorum, quos habent in ſuis tabernis, ad Vicarium Epiſcopi deferre. fama autem diſſipata erat, Imperatorem hæc facere in gratiam illuſtriſſimi noſtri Principis Saxonis, qui ea de re cum ipſius Maieſtate egiſſet. Vident, hic debilitatam eſſe nonnihil factionem Flacianam, quæ purioris doctrinæ propagationem plurimum hactenus impediuit: quare ineunt aliam rationem committendi noſtros inter ſe ex diſſenſione de cœna Domini. Non poſſum ſatis mirari, Imperatorem tam ſapientem principem his rebus non aliter proſpicere: vix enim fieri poterit, quin magnis turbis occaſionem præbeant, quandocunque Deus ipſum ex hac vita euocauerit. nam vix credibile eſt filios ea moderatione vſuros qua ipſe vtitur, cum ſint in ſua religione ſeueriores, & videantur eſſe animo alieniore ab iis qui ab ipſis diſſentiunt. Hæc ſane mala non ſunt leuia, cum præſertim his regionibus immineat hoſtis tam grauis, qui nec fidem nec pacta curat, quod iam ſatis experimur. nam fiunt nunc tam crebræ excurſiones a Turcis, & cum tanto numero militum, vt Hungaria fere plus damni accipiat, quam ſi apertum bellum gereretur. Non ſolum enim diripiuntur pagi & homines in ſeruitutem abducuntur, ſed etiam oppida incenduntur, vt Kaniſia ante menſem, & ante paucos dies oppidum ſancti Benedicti. præſidia autem quæ habemus in finibus ſunt infir-

infirmiora quam vt ſe hoſti opponere audeant. nec etiam noſter miles eſt ſatis alacri animo, quia non numerantur ei ſuo tempore ſtipendia. Accedit & aliud malum, quod Turcæ ſe præbent difficiliores, quam ſperabatur, iis qui Conſtantinopoli cum ipſis nomine Imperatoris agunt de prorogatione induciarum; & aiunt, ipſos huic rei prætexere, quod Imperator iuuet quibuſcunque modis poteſt Hiſpanos ipſorum hoſtes. Rex Rudolphus & Archidux Erneſtus iam totum menſem hærent Poſonii, vbi cum Hungaris deliberant, qua ratione eorum affictiſſimæ patriæ ſubueniri poſſit. Plurimi Galli redeuntes ex Polonia hac iter faciunt. nullum vidi adhuc qui valde prædicet Polonorum humanitatem. Redierunt plerique læti in patriam, ſed metuo ne valde doleant vbi eo peruenerint: omnia enim in peius ibi ruunt, videturque illud regnum properare ad interitum. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia precor. Viennæ, Calendis April. MDLXXIV.

LXIII.

PRoxima die ſolis, quæ fuit XIIX huius menſis, metuimus ne quid tumultus in hac vrbe oriretur: cuius rei cauſſam ideo volo ſcribere, quia haud dubie eius fama ad vos perueniet, & forte hæc eo modo non narrabuntur quo acciderunt. Quod etiam video in hac ipſa

vrbe

vrbe fieri, vbi pleriſque perſuaſum eſt, tam pontificiis quam noſtris, Imperatorem interdixiſſe ne religionis cauſſa amplius conuenirant ii qui a Romana eccleſia deſciuerunt. Ita autem ſe res habet. Soliti ſunt noſtri conuenire ad ſua ſacra & conciones in ædibus Baronis a Rockendorff Auſtriæ Mareſchalli; & quando hinc abfuit, conuenerunt in ædibus Baronis ab Eyzing præfecti inferioris Auſtriæ. Legatus autem Hiſpanicus habitat plane e regione illarum ædium, ita vt concionantis & canentium vocem potuerit facile ex ſua habitatione exaudire. Quare ſæpius petiit ab Imperatore, & quidem (vt aiunt) Principis ſui nomine, ne pateretur illis in ædibus noſtros habere ſuos conuentus, quod tamen hactenus obtinere non potuerat. Die vero ſolis Hiſpanus, neſcio quam ob cauſſam, factus eſt voti ſui compos. Imperator enim interdixit Domino ab Eyzing ne amplius pateretur in ſuis ædibus conciones haberi. quem cum Imperator audiuiſſet non obtemperare interdicto, denuo interdixit, addita etiam (vt aiunt) aliliqua interminatione. Significauit itaque venientibus in ſuas ædes, quæ mandata ab Imperatore accepiſſet. Qua re perturbati quidam ex nobilitate, qui vna cum aliis aduenerant, Imperatorem ſtatim adierunt, ab eoque petierunt ſibi indicari cauſſam ob quam interdixiſſet ne religionis cauſſa vt antea conuenirent.

Impe-

Imperator reſpondit, ſe nequaquam interdixiſſe. Cum autem alii dixiſſent ipſi ea quæ a Domino ab Eyzing audiuerant, ſubiecit, ſe tantum interdixiſſe ne in illis ædibus conuenirent. Ergo, dixerunt, nobis licet in aliis ædibus conuenire? cum reſpondiſſet, licere; Dominus ab Enzersdorff duxit concionatorem in ſuas ædes, in quibus bis eo die habita eſt concio. Quia vero fama eorum quæ Domino ab Eyzing acciderant iam erat diſſeminata per vrbem, Pontificii fremebant, exiſtimantes noſtros mandata Imperatoris contemnere. Noſtri autem, quorum maxima pars ignorabat quid reſponſi nobilitas ab Imperatore accepiſſet, conturbabantur; & eo magis quia in aliquibus locis, & præſertim apud Jeſuitas, ſubornati erant pueri qui ipſis prætereuntibus inſultarent. Puto hæc ita eſſe geſta: nam de iis inquiſiui quanta potui diligentia. Turcæ nobis vicini fuerant per aliquot ſeptimanas ſolito quietiores; ſed ſuperioribus diebus Strigonienſes conati ſunt ex improuiſo occupare munitionem Dotis, quæ non procul abeſt a Komorra, a qua tamen ſunt repulſi virtute præſidiariorum militum. Munera quæ mitti debent Conſtantinopolim ſunt huc allata Auguſta ante quatuor aut quinque dies, & iuſſus eſt ſe ad iter præparare is qui ea perferet; quamuis nondum

Digitized by Google

dum heic ſciamus an Turcæ ſint nobis conceſſuri induciarum prorogationem. Ego omnia fauſta & felicia tibi & tuis precor.

Viennæ, XXIV die Aprilis MDLXXIV.

HV-

HVBERTI LANGVETI
Burgundi

EPISTOLÆ

ad

JOACHIMVM CAMERARIVM
Medicum
JOACHIMI CAMERARII F.

Digitized by Google

I.

NOn poſſum dicere, mi Joachime, quam mihi grata fuerit, cum nuper apud vos eſſemus, illa tua ad amicitiam inuitatio. Nam licet morum & ingenii ſuauitas ac multa erga me officia, idem antea exegiſſent; mihi tamen valde placuit tuum de me iudicium, ſeu fiducia a me conſequendi quod erat æquum. Itaque cum mihi omnino neceſſe eſſet propter clariſſimum dominum Parentem tuum te diligere, hoc nunc propter tuum erga me amorem multo libentius facio, & gaudeo me eam beneuolentiam meritis tuis debere quam alias parentis virtuti daturus eram. Curabo autem quantum potero, vt non recens inter nos ſancita, ſed inueterata ac longo vſu confirmata hæc noſtra amicitia videatur. Bene vale. Mitto aliquot illuſtrium virorum epitaphia, quæ hinc inde vagando per Germaniam collegi. Mitto item aliquot imagunculas, ex iis quas nuper dicebas te deſiderare. plures ad manum non habui, nec hoc tempore venales hic reperiuntur. VVittembergæ, IV Non. Mart, MDLIV.

II.Pe-

II.

PEne tibi ſuccenſeo, quod cum nuper de ſarcina mea ſcriberes, litteras Peucero & non mihi inſcripſeris, cum præſertim recens pollicitus eſſes, te in ſcribendo officioſum fore: quo genere officii nullum mihi gratius a te præſtari poteſt. Vides me iam præ amore zelotypum factum eſſe, & ita fidere tuæ beneuolentiæ, vt in hac prima ſalutatione tecum expoſtulare audeam. Nec me facti pœnitebit, ſi ea ratione aliquid a te litterarum extorſero. Nihilominus tamen ingentes tibi gratias ago pro iſta tua in rebus meis procurandis ſedulitate, & oro vt tibi perſuadeas te mihi cariſſimum eſſe, tum propter admirationem virtutis clariſſimi tui parentis, ac multa eius erga me beneficia, tum etiam propter tuam humanitatem ac eximiam naturæ bonitatem, quæ me ita tibi deuinxerunt, vt nihil magis expetam, quam mihi dari occaſionem aliquo officio animi mei erga te propenſionem teſtandi. Sæpe facimus tui mentionem vt amici, ego & M. Henricus Meuclerus, qui iam eſt occupatiſſimus in ſua aula gubernanda, cum præſertim inſtet initiatio ſui Comitis, in quo (meo iudicio) eſt præclara indoles. Cuperet autem valde hanc actionem in parentis tui aduentum differri, vt eius præſentia ornaretur, ſi liceret per miniſtros illuſtris Comitis parentis, qui huc adoleſcentem comitati ſunt

& eam tantum ob cauſſam hic hærent. Mitto dimidium Joachimicum numeratum a te Francofordenſi aurigæ. ſi quid præterea meo nomine impendiſti, rogo vt id mihi ſignifices. Bene vale, mi cariſſime Joachime, & amanter ex me fratri tuo Philippo ſalutem dicas. Saluta etiam Dominum Gregorium Lailton Anglum, & adoleſcentes Antuerpienſes, qui apud vos viuunt. VVittembergæ, Cal. Januariis MDLVIII.

III.

EGo, mi doctiſſime Joachime, a prima adoleſcentia ita fui affectus, vt nihil magis cupiuerim quam multorum præſtantium virorum habere notitiam, eorumque iudicia & ſententiam de variis rebus audire. In qua re eos ſucceſſus habui, vt fortunam mihi alioqui iniquiſſimam merito accuſare non poſſim. A non paucis enim virtute, dignitate, & eruditione excellentibus, non tantum humaniter ſum acceptus, ſed etiam in aliquam partem familiaritatis admiſſus. Quos cum in animo meo recenſeo (quod ſæpe facio) tantam voluptatem inde ſentio, vt exiſtimem me eorum laborum, quos non leues eam ob cauſſam pertuli, ampliſſimum præmium & ſuauiſſimum fructum percipere. Inter eos, quos vſquam noui, adeo mihi excellere viſi ſunt Dominus præceptor Philippus & clariſſimus tuus parens, vt ſtatim vbi eorum notitiam habui,

bui, ſtatuerim meis erroribus finem imponere, & hærere apud eos, quos omnis virtutis, humanitatis, & eruditionis domicilium eſſe videbam. Eorum poſtea beneuolentiam erga me expertus in ea iucundiſſime acquieui, & pluribus beneficiis ab vtroque ſim affectus, & per me tantum ſtetit quo minus plura tuus parens in me conferret. nam, vt optime ſcis, humaniſſime petiit vt apud ſe aliquandiu viuerem. Intercedit etiam mihi ſingularis amicitia cum optimo viro domino Esromo Rudigero tuo affine, quem non tantum diligo ſed etiam colo ob eximiam eius virtutem, eruditionem, & ſuauitatem in conuictu, eiusque mutuam eſſe erga me beneuolentiam quotidie experior. Huiusmodi neceſſitudines & merita tuorum erga me ad te amandum me adigerent, etiamſi in te nihil eſſet quo ad id allicerer. Verum nulla tuorum commendatione ad me capiendum tibi fuit opus: ita enim tua humanitas & ſuauitas me totum tibi deuinxit, vt in te complectendo nec clariſſimi tui parentis nec cuiuſquam prætérquam tui rationem habuerim. Poſtea autem talem te erga me geſſiſti, vt iam non ſolum te diligam, ſed etiam me multa tibi debere fatear. Sed quia ea nunc eſt rerum mearum conditio, vt reipſa tibi oſtendere non poſſim, qualis ſit meus erga te animus, volui ſaltem hinc diſcedens te ſalutare, vt cognoſceres tui memoriam

in animo meo fideliter hærere. Jam proficiſcor Lutetiam, vbi, Deo dante, per æſtatem ſum manſurus. inde quotiescunque ſe dabit occaſio de rebus meis ad te ſcribam. Quod ſi reſcribes, mihi gratiſſimæ erunt tuæ litteræ, & ſi quos mihi commendaueris, quæcunque officia potero ipſis præſtabo. Notus ero Lutetiæ Adriano Turnebo, ad quem tuus parens mihi litteras dedit. Spero me habiturum hoſpitium apud Andream VVechel typographum ſub Pegaſo. Peto vt plurimam ſalutem ex me dicas domino Paulo Heſſo & domino Joanni Vito Hungaro veteribus meis amicis. Hic apud nos iam eſt tuus parens, qui cum heri veſperi quosdam bonos viros ad me inuitaſſem, ſodalitium ſua præſentia ornauit & exhilarauit. VVittembergæ, XI Cal. April. MDLX.

IV.

GRatulor ex animo tibi felicem ad tuos reditum ex ſatis diuturna peregrinatione: ſed multo magis gratulor præſtantiſſimis tuis parentibus, quos iudico te incolumi non poſſe non eſſe felices: cum non dubitem, & tua induſtria, & multorum præſtantium virorum conſuetudine, ac etiam ipſo tempore, multum acceſſiſſe ad eximiam illam eruditionem ac animi moderationem & plurimas alias virtutes, quibus ſupra ætatem ornatus eras cum a nobis diſceſſiſti. Vtinam ad unum aut alterum

rum diem liceret mihi tua conſuetudine frui: ſpero quod veterem amicum, ſua priuata & multo magis patriæ calamitate infelicem, nequaquam contemneres. Forte etiam illo exiguo tempore non pauciora Italiæ loca peruagaremur, quam tu toto iſto triennio ſis peruagatus. Grata forte ſuperueniet quæ non ſperabitur hora, quæ me iſtius mei voti compotem reddet. Interea vero dum hoc non licet, ego omnia fauſta ac felicia precor tibi, & peto vt tibi perſuadeas, te vnice a me diligi, tum propter tuas, tum propter clariſſimi tui parentis virtutes, quarum te verum hæredem fore mihi non eſt dubium. De Florentino principe hic audimus tragica & quæ fere ſuperant omnem fidem, quamuis ex variis locis ſcribantur; videlicet duos ipſius filios mutuis ſe vulneribus confeciſſe, cum poſt venationem orta eſſet inter ipſos contentio de lepore, quem vterque pertinaciter aſſeuerebat a ſuis canibus eſſe captum. addunt, ipſorum matrem paucis diebus poſt illum triſtiſſimum caſum dolore animi extinctam eſſe. Audiueramus prius, filium ipſius Cardinalem ſublatum eſſe veneno a Romano pontifice: quod facile credebam; nam, vt ſcis, talibus ludis ſe oblectant in Italia, & præſertim in aula Romana. Bene & feliciter vale, & fratres tuos ſaluta meo nomine. Argentorati, X Cal. Febr. MDLXIII.

V.

VTinam, mi Joachime, aliquo officio poſſem teſtari, fideliter in animo meo hærere memoriam eorum beneficiorum, quæ a clariſſimo tuo parente, a te, ac a tuis accepi. nihil ſane mihi gratius hac re contingere poſſet. Sed iam deſinam voluntatem meam pluribus verbis commendare. Res noſtræ ſunt tranquilliores quam ante iſtud ſæuum bellum fuerunt, & video ita paullatim tolli occaſiones domeſticorum tumultuum, vt bene ſperem in futurum. Superiore autumno peſtis graſſata eſt in multis Galliæ locis, quæ tamen fuit eiuſmodi vt non tam adſcripta fuerit aeris corruptioni, quam fami quæ præceſſerat: nam tenuiores tantum corripiebat, & in iis præcipue locis ſæuiit quæ bello fuerant deuaſtata. Jam Dei beneficio de ea nihil audimus, & credo fuiſſe aduerſus eam præſentaneum remedium ingentem copiam frugum, quam Deus nobis hoc anno benigne largitus eſt. Nec puto itinera infeſta eſſe latrociniis. Nam etiamſi quid tale forte poſt bellum auditum fuerit, non poſſunt tamen eſſe durabilia in his regionibus propter ſummam cautionem, quæ in iis tollendis adhibetur. Singulæ enim prouinciæ habent aliquot præfectos, qui cum ſuis equitibus perpetuo peruagantur eas, vt a latrociniis repurgent: quod ſi qui comprehendantur, qui talium ſcelerum ſint

ſint conuicti, ſeueriſſime in eos animaduertitur; nec eſt quiſquam, quantumuis magnæ auctoritatis, qui ipſis patrocinari audeat. Si quid ab ea re hoc tempore ſit periculi, id potius erit in limitibus Germaniæ & Lotharingiæ, quam in ipſa Gallia. Quod ſi quis faciat iter Colonia, poteſt ſine vllo periculo huc peruenire per Picardiam, quam ſuperioris belli tempeſtas non attigit, & eſt ea via breuior & commodior altera. nam Colonia non longius hinc diſtat quam Argentoratum, totaque regio interiacens eſt mera planicies. Studiis medicis multum hic deceſſit morte Jacobi Goupilii viri doctiſſimi. ſucceſſit in eius locum Simon Baldichius nequaquam par ei eruditione. Alter regius profeſſor medicinæ Ludouicus Duretus iam magni fit. Sunt & alii medici in hac vrbe eximie docti. Breui edetur opus Gorræi, quod putant fore admodum vtile ſtudioſis medicinæ. titulus operis erit *Definitiones medicæ*. Putant etiam edendam hac æſtate practicam Fernelii, & quædam alia eius opuſcula. Rondeletius adhuc profitetur in Montepelio. Hæc habui quæ ad tuas litteras reſcriberem: quod ſi videatur e re tua ad nos venire, nihil tibi deerit quod ſit in mea & amicorum meorum poteſtate. Commendo tibi iuuenem qui meas litteras tibi reddet, & peto vt iuues eum in comparando hoſpitio; nam conſtituit iſthic viuere. iunctus

eſt ſanguine ornatiſſimo viro domino Carolo Danzæo legato Regis Galliæ in Dania. Bene vale. Lutetiæ, pridie Nonas Martii MDLXIII.

VI

REdii ex Gallia ſub id fere tempus, quo frater tuus Philippus hinc diſceſſit, quem fuit mihi gratum conſpicere incolumem. Pauca cum eo ſum locutus, cum pararet ſe ad diſceſſum, & eſſem occupatus in reddenda ratione eorum quæ egeram in Gallia: vbi non vidi fratrem tuum Ludouicum, nam non veni Lutetiam. Iam vero eſt mihi eo recurrendum, & ſatis animaduerto eſſe meum fatum vt perpetuo ſim vagus & miſer. Quid ſit in hoc conuentu Imperii actum, puto te non ignorare. A diſceſſu noſtri Principis Saxonis, Bipontinus, VVurtembergenſis, & Meckelburgenſis nihil non fecerunt vt Electorem Palatinū opprimerent, cui etiam non admodum beneuolam operam nauarunt veſtræ Reipublicæ oratores. Miror tantam odii acerbitatem erga optimum principem. Verum per eius latus petebantur omnes peregrini, qui veram religionem profitentur. Veſter Julianus minime memor fuit eorum quæ promiſerat optimo Principi, quem tamen Deus non eſt paſſus opprimi. nam ſe aliorum conatibus fortiter oppoſuerunt noſtri principis Electoris Saxoniæ oratores, ac etiam Landgrauii,

Mar-

Marchionis Joannis, Ducis Saxoniæ Joannis Gulielmi, Ducum Luneburgenſium, & quidam alii. Reliqua narrabit tibi dominus Franciſcus, qui has litteras tibi tradet, quem tibi commendo. Clariſſimum dominum D. Chriſtophorum Herdeſianum meo nomine officioſe ſalutabis. Bene vale. Auguſtæ Vindelicorum, IIX Cal. Jun. MDLXVI.

VII.

DIſcedens Auguſta litteras ad te dedi, quas puto te accepiſſe. Hic omnia ſatis ſunt tranquilla. Armantur naues in littore Normannico ad repetendam iam antea infeliciter tentatam Floridam. nam puto te non ignorare, quam crudeliter in noſtros ibi ſæuierint Hiſpani. Cœperunt hic diſputare ex quadam occaſione quidam doctores Sorbonici & concionatores noſtrarum eccleſiarum. Initio ineptis contentionibus turbabatur diſputatio. Id vbi reſciuit Rex, voluit vt ordine diſputaretur, & adhibiti ſunt vtrinque notarii, qui omnia quæ dicuntur excipiant. Adhibiti ſunt etiam aliqui ex proceribus, qui ſint ſpectatores & teſtes diſputationis, & coerceant eos qui immodeſtius agunt. Commiſſi ſunt initio bini, poſtea cuilibet parti adiunctus eſt tertius. Quod ſi non interrumpatur diſputatio, credo quod poſtea plures adiungentur. Verum totus ordo eccleſiaſticus, Sorbona, & legatus pontificius, ac etiam Hiſpanicus, conantur

F 5

tur eam interrumpere, & multa aduerſus eam proteſtantur. ſed hic iam parum curantur eiusmodi proteſtationes. quid autem ſit ſecuturum ignoro. De rebus Belgicis nihil ſcribo, quia exiſtimo vos de iis habere certiſſima. Hiſpanus armat claſſem ad opprimendos tumultus qui ibi pullulare videntur; ſed vereor ne potius eos augeant. Regina Scotiæ peperit filium decima nona Junii. Credo noſtrum Guiſium adoleſcentem iam eſſe in veſtra vicinia : ambit filiam Principis Bauarici. Rogo vt de rebus Polonicis & Hungaricis per occaſionem ad nos ſcribas, ac etiam de controuerſia Victorini. Saluta officioſe meo nomine clariſſimos dominos doctores Roghenbachium & Herdeſianum. Rogo vt litteras quas his ad te adiunxi diligenter cures, & præſertim eas quas ad illuſtriſſimum noſtrum Principem ſcribo. Bene vale. Lutetiæ, pridie Id. Iulii MDLXVI.

VIII.

IAm fere totos tres menſes hic ſedeo ſpectator infelicis patriæ, noſtra culpa, vel potius noſtro furore, alto a culmine ruentis. Cupiebam quidem proficiſci in caſtra eorum, quorum cauſſa licet ſit iuſtior, longe tamen imbecilliores ſunt vires quam aduerſariorum; ſed exiſtimarunt me plus ipſis profuturum, ſi hic conſiſterem. Obſecutus ſum ipſorum voluntati in ea re; ſed vix video quid hic ipſis

prodeſſe

prodeſſe poſſim, cum videam eorum qui aliquid poſſint in Germania animos aut præoccupatos eſſe neſcio quibus opinionibus, aut ita fractos vt quamuis videant & intelligant ſuam rem agi in Gallia, tamen ſimulant ſe id non credere; ne ſi de publica ſalute ſit ipſis cogitandum, turbetur ſuaue illud otium quo ſe jam oblectant. Videant ne ſibi nimis indulgeant, & ne quis veternum illum tandem ipſis excutiat. Oppreſſi ſunt Belgæ: noſtri ita periclitantur vt de ipſorum ſalute pene deſperem. An putant pontificem Romanum & eius ſectatores reddi modeſtiores victoriis, aut acceſſione virium animis frangi? nam ipſis accedunt vires eorum quos opprimunt. Quidquid ſimulet pontifex, æque odit omnes qui ab ipſo defecerunt; nec negliget occaſionem ipſos opprimendi quandocunque ſeſe offeret: imo non deſiſtet obſequentes ſibi principes aduerſus ipſos inſtigare, quouſque omnes ſub ſuam tyrannidem redegerit. Seiungimur arte, & aluntur inter nos diſſidia per aduerſarios, qui nos ſeiunctos ita paullatim carpunt. Nobis oppreſſis in Gallia proximus erit periculo Elector Palatinus, qui eo nomine petitur quod non per omnia probet confeſſionem Auguſtanam: repetentur poſtea Epiſcopatus a principibus qui eos occuparunt: poſtremum erit vt decreta Concilii Tridentini iubeantur approbare. Animaduer-

tent tandem dolo ſecum actum eſſe, & dolebunt; ſed id fiet cum erunt ita irretiti vt non poſſint ſe explicare. Faxit Deus vt ſim falſus vates, ſed vereor ne ita accidat. Ignoſces quod talia ſcribam. animus meus ita oppreſſus eſt dolore, vt nihil aliud mihi in mentem veniat, & propterea iam minus libenter ad amicos ſcribo. Vereor ne Pharſaliam aut Philippos in Lotharingia reperiamus: nam Condæus eſt cum exercitu ad Moſellam non procul ab vrbe Metenſi, & eo venit vt ſe maturius coniungeret cum equite Germanico, & redderet ei faciliorem tranſitum Moſellæ & Moſæ, ad quos conſtituerant ſe eis opponere Aumalius & Guiſius, qui audito aduentu Condæi receperunt ſe Tullum cum ſuis copiis. Credo eos daturos operam vt ſe mature coniungant cum Andegauenſi Regis fratre, qui habet caſtra ad Ligniacum, quod non procul inde abeſt. Inſecutus eſt Andegauenſis Condæum cum exercitu regio cui præeſt, ſed ita vt videretur non velle aſſequi. Condæus haud dubie captabit occaſionem pugnandi: nam aliunde iam auxilia non exſpectat; ſed credo eius aduerſarios vitaturos pugnam, cum magis abundent rebus omnibus ad ducendum bellum neceſſariis. Si conſeruerint manus, concident vires Galliæ. nam exiſtimo eſſe in illis duobus exercitibus ad ſeptuaginta aut octoginta millia hominum, & vt ſolet

fieri

ſieri in bellis ciuilibus, haud dubie pertinaciter pugnabunt. Noſtri ſane in ſola victoria ſpem ſalutis reponere poſſunt: ſi enim vincantur, de ipſis plane eſt actum. Hæc ſunt ſita in ſolius Dei voluntate, qui iam grauiſſimam ſuam iram oſtendit aduerſus noſtra peccata: quamuis ſimus meriti longe grauiora iis quæ patimur. quare debemus & hoc eius miſericordiæ tribuere, quod nondum plane periimus. Credo tibi notum eſſe nomen Gabrielis Gienger adoleſcentis iſthic nati, quem ſecum habuit in conuentu Auguſtano doctor Peucerus; cuius conſilio proximo autumno adiunxit ſe mihi profecturo in Galliam. ad cuius fines cum perueniſſemus, ſævæ tempeſtates ibi exortæ nos huc repulerunt. Habueramus in eo itinere comites aliquot ſtudioſos adoleſcentes, qui huc nobiſcum reuerſi poſtea profecti ſunt ad Heluetios, exiſtimantes id ſuis ſtudiis conducere. Cum cuperet ſe eis adiungere Giengerus, & deſtitueretur viatico, dedi ei mutuo quinquaginta coronatos. Scripſit ad ſuos tutores de ea re ſub initium Octobris, quos promiſerat acceptis ſuis litteris ſtatim mihi mutuo datam pecuniam perſoluturos, ſed hactenus de ea re nihil audiui. Diſtuli, quamdiu id commode potui facere, debiti repetitionem. ſed iam meæ res ſunt eo redactæ, vt ad eius tutores de ea re mihi fuerit ſcribendum. Litteras ad

ipſos & ſyngraphæ Giengeri exemplum his ad te adiunxi, quas peto ne graueris ipſis reddere, & ſciſcitari quid de mea pecunia ſit ſperandum. Eam ſi velint reddere, poterunt mittere fratri tuo, vel Doctori Sebaldo, & accepta pecunia remittam ſyngrapham quam a Giengero habeo. Adoleſcens fuit mihi carus propter morum facilitatem eximiam, nec credo ipſum de me conqueri: nam quamdiu mecum fuit, habui potius eum vt filium quam vt miniſtrum, nec tamen ſum paſſus vt quidquam de ſuo inſumeret. Peto vt mihi vel fratri tuo vno verbo ſignifices, quid de ea pecunia conſtituant. Ego omnia fauſta & felicia tibi a Deo precor, & rogo vt clariſſimum dominum Doctorem Herdeſianum meo nomine ſalutes. Argentorati, pridie Nonas Januarii MDLXVIII.

IX.

CRedo tuum fratrem aliquid tibi ſignificaſſe de conſiliis infelicis huius noſtri incendiarii, quem ex peſtilente patria malus aliquis dæmon in Germaniam direxit, vt per ipſum tantorum malorum telam ordiretur. Quid ſi ad Salam redierit, quo reuocatur? feretne hoc noſter? Deus merito punit noſtram ingratitudinem: qui cum a nobis exigat, vt ait poeta,

com-

compoſitum ius faſque animo, ſanctosque receſſus
mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto,

offerimus illi animum pollutum ambitione, inuidia, odio & acerbitate, & volumus mundo perſuadere pietatem in iis rebus conſiſtere, & ſi quis non ſtatim nobis aſſentiatur, eum ferro & flamma perſequimur. Quoniam iam non dubito, Galliam plane periiſſe, ex deſperatione factus ſum ſecurior, & minus doleo quam antea: vel forte ex nimio dolore contractus ſtupor eius ſenſum mihi adimit. Ante quindecim dies pax adhuc pene certo ab omnibus ſperabatur; ſed infauſtus aduentus Cardinalis Lotharingici omnia recta conſilia interturbauit. Nobilitatem quæ eſt cum Rege, cepit tantum belli tædium, vt videatur Regem vel nolentem coactura ad pacem faciendam; ſed an iam id ſit futurum in eius poteſtate ignoro. vnde enim ipſi ſuppetet pecunia ad perſoluenda ſtipendia quinquaginta millibus externorum militum? nam non pauciores eſſe in Gallia ſcio. Video autem noſtros non tam facile opprimi poſſe a regiis, vt multi antea exiſtimarunt: nam & vrbes multæ ad ipſos deficiunt; & in regiis caſtris nō ſunt ſatis concordes; vt ſolet accidere vbi nemo eſt qui virtute & auctoritate excellat; & forte ſub aduentum Germanici equitis

magis

magis diſſentient, & vereor ne noſter, qui cum tanto faſtu eo accedit, non tantum momentum adferat ad ſummam rerum quantum ipſe exiſtimat. Regia caſtra ſunt ad Melodunum, Condenſia ad Nemorſum. abeſt alterum oppidum ab altero ſeptem gallicis milliaribus, & eſt intermedia illa celebris arx Fontainebleau. Fiunt quotidie inter ipſos velitationes, & aliquot vtrinque cæduntur, ſed non magno numero. Ante aliquot dies duæ cohortes equitum Germanicorum & totidem Gallicorum inciderunt in Italos ſectantes greges caprarum, non vt prædam agerent, ſed vt ſuam turpitudinem exercerent, ex quibus interfecerunt ad ſexcentos aut ſeptingentos. Cum fama huius rei in caſtra regia perueniſſet, audio longe plures riſiſſe quam doluiſſe. Siue ſit uerum ſiue confictum quod de capris dicitur, certum eſt ipſos Italos fuiſſe caſtigatos. Rex coniecit in vincula Mareſchallum de Coſſe fratrem Domini de Briſſac, & Carnaualetum formatorem adoleſcentiæ fratris Regis, quorum vtrumque puto eſſe notum clariſſimo domino doctori Chriſtophoro, quem peto vt officioſe meo nomine ſalutes. De Principe Hiſpaniæ tradito cuſtodiæ non dubito vos audiuiſſe; affirmant eum voluiſſe interficere parentem. Decretum eſt ab Ordinibus regni Scotiæ, vt de Regina ſumeretur capitale ſupplicium, & putant aliqui

iam

iam eſſe ſumtum. eo miſeram perduxerunt conſilia Cardinalis Lotharingici. Quoniam hinc auocor, ſi tutores Gabrielis Giengeri mittant pecuniam mihi debitam Francofurtum ad dominum Nicolaum Bromium, facient mihi rem gratam. Spero me fore Francofurti tempore mercatus: quod ſi negotia me alio auocent, mittam tamen ad Bromium Giengeri ſyngrapham. peto ne graueris hoc ipſis indicare. Mihi in tantis calamitatibus conſtituto hæc ipſorum mora in ſoluendo eſt valde incommoda. me enim cogit mutuam pecuniam ab aliis ſumere. Ego tibi & tuis omnia fauſta & felicia a Deo precor. Argentorati, Calendis Martii MDLXVIII.

X.

PRoximo mercatu dederam ad te litteras cuidam noſtrati iſthuc proficiſcenti, quibus incluſeram ſyngrapham quam habebam a Gabriele Giengero; ſed is neſcio quam ob cauſſam reliquit iſthic litteras apud ſuum hoſpitem, vbi nuper reperit eas quidam meus amicus, cui manus mea erat nota. Mitto iam eandem ſyngrapham, quam peto vt ipſius Giengeri tutoribus reddas, quamuis pro gallicis coronatis redditi ſunt mihi Italici. Ago autem tibi gratias pro impenſa opera in eam rem, & peto vt ignoſcas quod tua humanitate ita inuerecunde abutar. De rebus gallicis

licis credo vos certiora iſthic habere quam hic habeamus. Totos iam quatuordecim dies hac prætereunt dimiſſi milites cum infinita multitudine curruum præda onuſtorum. Plerique ipſorum dicunt, ſe denuo Principi Orangio ſuam operam condixiſſe, & properare domum vt ſe armis & equis inſtruant: nam noſtri in Gallia ab ipſis diſcedentibus emerunt vltra mille & quingentos equos, & quidquid fere habuerunt armorum. Putatur Orangius heri veniſſe Heidelbergam cum Duce Caſimiro ante aliquot dies profectus erat Argentoratum, vt ibi militum iſtorum præfectos conueniret. Nõ dubito vos dudum audiuiſſe de pugna commiſſa ad Groningam, in qua ſuperatus & interfectus eſt Arembergius Comes, Friſiæ præfectus, a Comite Ludovico Naſſauienſi, fratre Orangii. habuit Arembergius ad decem ſigna Hiſpanorum quatuor Belgarum, & vnum Germanorũ: quibus ita fidebat, vt noluerit exſpectare Comitem a Meghen properantem ad eum cum octo ſignis militum; & tamen Comes Ludouicus, quamuis tiro & inſtructus milite qui temere ad eum confluxerat, tam clara victoria eſt potitus aduerſus ducem & milites veteranos, vt dicatur non plures quam quadraginta ex ſuis amiſiſſe, cum plures quam mille ex aduerſariis interierint, quamuis inſtructi eſſent maioribus bombardis, quibus ipſi

ipſe carebat. Sed vt nihil ſolet nobis a Deo in hac vita concedi quod ſit ab omni parte lætum, amiſit fratrem Adolphum, præſtantisſimum iuuenem, quem olim VVittembergæ vidiſti. Is enim in prima acie fortiter pugnans ſuo exemplo excitauit militem initio trepidantem, & ſua virtute ac ſuo ſanguine eam victoriam ſuis fratribus peperit. Hæc quidem victoria poſſet eſſe alicuius momenti, ſi ſciret vti Orangius; ſed vereor ne ipſius & aliorum cunctatione eius fructus corrumpatur. Hæc in Dei voluntate ſunt poſita; ſed ſi Hiſpani victores in hoc bello euadant, nullum genus crudelitatis aduerſus Belgas prætermittent, & vereor ne non contenti Belgarum pœnis aliquid in Germania tentent, quod ſe facturos iam non obſcure præ ſe ferunt. Si tibi aut amicis aliquid ſit in Gallia negotii, quod per me expediri poſſe exiſtimes, id mihi ſignifica Argentorati in proximo mercatu, & mitte tuas litteras ad dominum Doctorem Sebaldum vel ad doctorem Chriſtophorum Montium. nam conſtitui eo proficiſci, & inde in Galliam. Bene & feliciter vale, & clariſſimum dominum Doctorem Herdeſianum meo nomine ſaluta. Françofurti, V Id. Junii MDLXVIII.

XI.

NImis verecunde in tuis litteris, quas binas hic accepi, accuſas meam inſcribendo negligentiam. Nam cum nihil aliud rependere poſſim pro tot tuis & totius veſtræ familiæ beneficiis erga me, deceret ſaltem me interdum ad te ſcribere, cum ſæpius ſignificaueris, te meas litteras expetere. Sed mihi crede, non fit negligentia quod nihil ſcribam, ſed quodam omnium rerum tædio ac deſperatione. Nam cum iam nihil audiamus præter cædes & ſupplicia bonorum virorum, & direptiones & incendia regionum, video non poſſe fieri, quin ii, qui humanitatis ſenſu non prorſus carent, maximum dolorem ſentiant cum hæc ipſis nunciantur. Proinde cum nullum iam aliud ſcribendi argumentum ſuppetat, minus libenter amicis doloris cauſſas ſuppedito. Quæ de noſtrorum clade & Condæi morte audiuiſtis, ſunt nimis vera, quamuis non exiſtimem tot ex noſtrorum exercitu periiſſe quot initio ferebantur. Poſt pugnam regii obſederunt oppidum Cognac, ad quod eſt pugnatum, quod & antea fuit nobile natalibus regis Franciſci; ſed audio ipſos, non paucis ex ſuis amiſſis, coactos ſoluere obſidionem. nam Vaſcones, qui per hiemem vexarunt Toloſates, poſt pugnam coniunxerunt ſe Amiralio, qui iam nomine Nauarri præeſt noſtrorum exercitui. Inde con

iicio

iicio, miſeras illas reliquias nondum plane deſpondere animum, quamuis neceſſe ſit eas tandem opprimi, cum regiis perpetuo ſuppeditentur noua auxilia, ipſis autem nihil tale ſit exſpectandum. Bipontinus dicitur tandem traieciſſe Ararim, & progreſſus eſſe in Galliam, diu hæſit in Comitatu Burgundiæ, vbi ſæpius tumultuati ſunt eius milites flagitantes ſtipendia; quæ ſi non numerarentur, dicebant ſe reuerſuros in Germaniam & direpturos eius ditionem. Interea autem ne nihil agerent, miſere diripuerunt illas regiones, ac etiam graſſati ſunt incendiis, & præſertim in iis locis quæ ad Granuellanos pertinuerunt. Bipontinus neſcio quibus rationibus tandem pecuniolam aliquam confecit, quam cum inter milites diſtribuiſſet, facile ipſis perſuaſit vt traiicerent Ararim, & recta progrederentur in Lingones. Audiuimus eos ante viginti dies habuiſſe caſtra ad oppidum Chaumont, ſex milliaribus vltra vrbem Lingonum; quo itinere Dux Caſimirus ante annum duxit ſuas copias in Galliam. Hanc tempeſtatem prima omnium excipiet miſera mea patria; ſed vide quanta ſit noſtra infelicitas. Eo ſumus redacti, vt malim ipſos ibi noſtra diripere quam rediiſſe in Germaniam. nam etiamſi nullam habeo cauſſam quare aliquid ſperem de eo exercitu, quem ſcio habiturum pro hoſtibus eos omnes, quibus poterit aliquid eripere,

BIBLIOTECA N. ROMA VITTORIO EMANUELE

pere, & videam neceſſe eſſe vt redigat ad ſummam egeſtatem multos bonos & innocentes homines; tamen vt facile etiam in extremis periculis inanes ſpes concipimus, ſi diu conſiſtat in Gallia, ſpero non defuturos aliquos ex proceribus, qui vel amore reipublicæ & ſtudio liberandi patriam ab interitu, vel ob priuata ſua commoda liberius Regem admoneant, tandem oportere ipſum ſuæ & ſuorum ſaluti conſulere: nec dubito eſſe multos ita affectos, ſed premuntur potentia Cardinalis Lotharingi, qui iam omnia pro arbitrio adminiſtrat. Qua ratione hic Imperii ſaluti conſulatur, poteris ex veſtris ſcire, vbi iſthuc fuerint reuerſi. Imperator ſua agit per pontificios, qui numero ſuffragiorum longe ſuperant noſtros, & paullatim pertexit telam quam dudum cœpit ordiri. Mirum eſt, cum initio iſtius mutationis in religione eſſent omnia tenuiſſima, & tanta eſſet auctoritas, potentia, prudentia, & peritia rei militaris Caroli Imperatoris, totusque orbis chriſtianus eſſet ipſi in ea cauſſa coniunctus, non defuiſſe in Germania qui ſe eius conatibus opponerent; iam vero noſtros ita auctos potentia, vt facile aduerſariis pares eſſe poſſint, eſſe plane inopes conſilii, & ad quæuis periculorum ſimulacra trepidare. Tunc demum flebunt, cum repetentur ab ipſis bona eccleſiaſtica, & iubebuntur approbare decreta Tri-

dentina

dentinæ ſynodi, & forte indigniora ipſis imperabuntur; quæ etiamſi velint facere, non tamen habebunt ſuos ſubditos in ea re obſequentes. Iſtorum malorum fons & origo eſt, quod nolunt ſibi de ſuis voluptatibus quidquam reipublicæ cauſſa decedere, & iis, quibus ſuorum negotiorum procurationem committunt, mandant vt quiduis potius faciant quam patiantur ipſorum otium turbari. Sed vide quo me abripiat dolor! manu ſcilicet præcurrente mentem. Clariſſimum dominum Doctorem Loſcherum tantum ſalutaui, nam cum ad ipſum acceſſi profecturus erat Spiram. Alter bonus vir quem mihi commendaſti & ego fuimus aliquoties vna, cuperem me poſſe vtrique aliquid officii præſtare. Rogo vt officioſe meo nomine ſalutes clariſſimos dominos doctores Jugelium & Chriſtophorum. Peto vt litteras has diſcerpas vbi eas legeris. Spero me fore Argentorati in mercatu, vnde ad te ſcribam ſi quid habuero de rebus Gallicis. ſi quid tunc ad me litterarum voles dare, mitte eas ad doctorem Chriſtophorum Montium. Bene vale, Francofurti, XVI Maji MDLXIX.

XII.

QUoniam nihil poſſum ſcribere niſi direptiones vrbium, cædes innocentum hominum, & alias calamitates infelicis meæ patriæ,

triæ, minus libenter ſcribo quam ſi liceret interdum læta triſtibus miſcere. Sed quia non dubito te & bonos viros qui iſthic ſunt noſtris malis interdum ingemiſcere, minus eſt graue ad vos ſcribere quam ad eos quibus eæ res voluptatem adferrent. Poſt conflictum, in quo captus eſt a noſtris Philippus Strozza, tota fere nobilitas Gallica, quæ Regi militabat, dilapſa eſt ob morbos graſſantes in exercitu, & commeatus penuriam & difficultatem. ii autem, quos Rex edicto euocauerat Aureliam ad XX Junii, vbi audiuit Bipontinum ſuperato Arare progredi cum exercitu, iuſſi ſunt ad ſua redire, ita tamen vt conſtituto tempore rurſus adeſſent. Germani, Itali, & Heluetii diſtributi ſunt per oppida & pagos agri Turonenſis, vt ſe recrearent. Interea autem Sanſacus cum peditatu Gallico obſedit Fanum Charitatis ad Ligerim, & Comes du Lude præfectus Pictonum Nyorthum oppidum, quod a Rochella abeſt vnius diei itinere. Amiralius animaduertens regium exercitum ita diſſolutum non poſſe facile colligi, non defuit ſuis occaſionibus: nam Comitem du Lude coegit diſcedere ab obſidione Nyorthi, maioribus tormentis & multis ex ſuis militibus amiſſis. eadem fere fuit fortuna Sanſaci ad Charitatem. Liberato Nyorthe Amiralius audiens, oppidum Chaſteleraud ad Viennam fluuium parum firmo præſidio eſſe munitum, raptim

eo du-

eo duxit exercitum, & obſeſſos intra biduum facere deditionem compulit. Poſtea recurrens Luſignanum, fruſtra antea aliquoties tentatum, intra paucos dies illud cepit, & opimam prædam ibi reperit: nam nobilitas & opulentiores ciues ex tota vicinia conuexerant eo quidquid pretioſum ipſis fuit, eo quod loci illius arx haberetur munitiſſima. Inde duxit originem illuſtris illa familia, ex qua fuit Guido poſtremus rex Hieroſolymitanus, cuius poſteritas regnauit in Cypro vſque ad tempora Venetorum. Regii coniicientes, ipſum occupatis omnibus oppidis vicinis vrbi Pictauienſi, inuaſurum tandem vrbem (qua propter amplitudinem & commoditatem, tanquam belli arce, hactenus aduerſus noſtros ſunt vſi) eo induxerunt viginti ſigna peditum, quibus præfecerunt Dominum de Martigues ex Lucelburgenſi familia, virum maximæ exiſtimationis inter ipſos, Comitem de Lude præfectum Pictonum, & Guiſium. Amiralius nihil ea re territus inuaſit vrbem, quam ab ipſo expugnatam, qui iam veniunt ex Lotharingia affirmant, & trucidatos Dominum de Martigues, & Comitem de Lude, & Guiſium captum. Dicuntur fuiſſe in ea vrbe ad duo millia monachorum & ſacerdotum, qui ex vicinis regionibus eo tanquam in locum tutiſſimum confugerant. Rex petiit a Pariſienſibus duodecies centena millia francorum ad ſuſtinen-

dum bellum, cuius ipſi fuerunt præcipui auctores; ita tamen vt liceat ipſis vendere bona eorum, qui ſunt in Amiralii caſtris. Quod iam fit ab ipſis, & ne quidem Amiralio parcitur, cuius ſupellex precioſior iam eſt diuendita; ſed paucos inueniunt, qui prædia velint emere. Rex denuo petiit ab Heluetiis ſex millia militum, & vt audio impetrauit quatuor. Andelotus ſublatus eſt veneno, quo etiam petiti ſunt Amiralius & Montgomerius; ſed adhibito mature remedio euaſerunt. auctor facinoris Rochellis equis diſcerptus eſt. Rogo vt officioſe meo nomine ſalutes clariſſimos dominos Herdeſianum & Rogenbachium. Hæc raptim Argentorati, duodecimo Calendas Septembr. MDLXIX.

XIII.

DUdum ad te nihil ſcripſi, quia toto ſuperiori autumno de noſtrorum rebus nihil habuimus, quod non eſſet plenum deſperationis. Infeliciter primum ab ipſis tentata eſt oppugnatio vrbis Pictonum, & ibi fruſtra abſumptum anni tempus commodiſſimum ad res gerendas; cum tamen regii exercitus diſſolutio pulcherrimas ipſis occaſiones præberet, ſi alio vires ſuas conuertiſſent: poſtea ſecuta eſt infelix illa pugna, poſt quam ſi regii ſua victoria vti ſciuiſſent, de noſtrorum rebus forte fuiſſet actum. ſed dum fruſtra terunt quod ſu-

pererat

pererat æſtatis in oppugnandis vrbibus, Amiralius diſſipatas ſui exercitus reliquias collegit, & cum iis in Toloſates profectus, coniunxit ſe cum Vicecomitibus, qui habuerunt ad decem millia peditum, & ad mille quingentos equites. Jam vero libere vagatur in agro Toloſatum, & in ea Galliæ Narbonenſis parte, quæ ad Pyrenæos pertinet, nec quenquam habet illic Rex, qui ſe illi audeat opponere. Satis eſt Mareſchallo Danuilio regionum illarum præfecto, Toloſam & alias vrbes munitas defendere; nec tamen poteſt ita omnibus proſpicere, quin aliquæ perueniant in poteſtatem Amiralii: ad quem defeciſſe Narbonam nuper eſt huc perſcriptum. Sed id mihi nequaquam fit veriſimile, cum Gallia vix habeat vrbem munitiorem, & perpetuo in ea excubet validum præſidium: eo quod ſit præcipuum propugnaculum illarum regionum aduerſus Hiſpanos, a quorum finibus non procul abeſt. Sic accidit vt Amiralius prælio ſuperatus a regiis, & pulſus ex regione diuturno bello exhauſta, peruenerit in longe fertiliorem, & rebus omnibus abundantem, & iam habeat inſtructiores copias quam ante pugnam. nam ſcripſit, ſe habere in exercitu ad ſex aut ſeptem millia equitum, & ad quindecim aut ſedecim peditum. Non procul ab iis locis vbi Amiralius habet copias, Dominus de Montbrun veteranus miles, ante duos

menſes occupauit Nemauſum, vrbem veterem; & ab eo tempore milites ad eum confluxerunt tanto numero, vt auſus ſit ſuperato Rhodano irrumpere in Delphinatum, & Prouinciam, in qua dicitur cepiſſe Arelatem, quæ fuit olim Regum Burgundiæ regia, vnde & regnum Burgundiæ a veſtris ſcriptoribus Arelatenſe nominatur. Quoniam vtramque Rhodani ripam obtinet, coniicit Lugdunenſes in non paruas difficultates, nec iam fere poteſt quiſquam terreſtri itinere ex Hiſpania in Italiam peruenire. Rex capto deditione oppido Sancti Iohannis d' Angely, cum matre & fratre rediit in Turones, & inde profectus eſt Lutetiam. Diſcedens præfecit ſuis copiis Mareſchallum de Coſſe. In obſidione Sancti Iohannis d' Angely dicitur amiſiſſe ad duo millia militum. Cecidit ibi Dominus de Martigues, ex familia Lucelburgenſi, cuius mors ipſum Regem magnopere perturbauit. Comparauerat ſibi maximam auctoritatem in regio exercitu ferocia & audacia, nec vllus erat noſtris infeſtior hoſtis, aut a conſiliis pacis alienior. Ego iudico, Cardinalem Lotharingum non minorem iacturam in eius morte feciſſe quam ſi fratrem Aumalium amiſiſſet. Interea agitur de pace, ſed quomodo conſtitui poſſit, vt coaleſcat, non video, animis tot iniuriis vtrinque irritatis & exacerbatis: nec vnquam audebunt noſtri ſuam ſalutem committere eorum

fidei,

ſidei, apud quos iam eſt ſumma gubernationis. Ad promouenda pacis conſilia poterat videri opportuna mors Domini de Martigues, & morbus in quem aiunt incidiſſe Cardinalem Lotharingum, niſi pontificii nimia ſua acerbitate erga noſtros, & præſertim erga Amiralium, omnem ad eam viam præcluderent. Vel potius dicamus, Deum nondum nobis eſſe placatum, nec adhuc ſatis graues pœnas pro noſtris peccatis a nobis exegiſſe. Rogo vt officioſe ſalutes meo nomine clariſſimos dominos DD. Herdeſianum & Rogenbachium. Bene vale. Argentorati, Sept. Id. Ianuarii MDLXX.

XIV.

Litteras quas ad me & ad Harlæum dediſti, accepi ante aliquot dies, ſed libros, quorum facis mentionem, nondum. Scripſi tamen ad Suendium, mitti, & vbi accepero me ſtatim exemplar alterum ad ipſum miſſurum, quod ſibi fore gratum reſpondit. Si nondum miſiſti, conſulo ne mittas: nam Francofurti (quo iam proficiſcor) habebimus exemplaria. Quoniam video miſeram noſtram patriam ita periiſſe, vt iam nulla ſuperſit ſalutis ſpes, quæro ſolatium in calamitatibus eorum, qui nos in hæc mala coniecerunt. Hiſpanos dico: quos ſi vna nobiſcum pereuntes viderem, dolor meus plurimum minueretur. Quæ de Mauris Granatenſibus audio ſunt eiusmodi, vt non plane

Digitized by Google

deſperem me id tandem conſecuturum, quod cupio & opto. Nuper vidi litteras ſcriptas Cordubæ, quibus ſignificabatur, Regis Hiſpanici res eſſe ſatis turbatas, & Granatenſium vires indies magis ac magis confirmari acceſſione vicinorum Afrorum & Turcarum, quorum iam cum ipſis eſſe dicuntur ad nouem aut decem millia. Rex eſt Cordubæ, quo conueniunt copiæ ex tota Hiſpania, quas putant exceſſuras numerum quadraginta millium hominum. Hiſpani ſperant ſe ante aduentum claſſis Turcicæ cum his copiis oppreſſuros ſuos aduerſarios, quos conſtituerunt variis a partibus oppugnare. Ante aliquot menſes mandatum erat Albano, vt militem ſubſidiarium ex Belgio in Hiſpaniam mitteret. miſerat etiam Rex quinquies centena millia coronatorum Genuam, ad conſcribendum militem Italicum. ſed proceres Hiſpanici coegerunt Regem mutare conſilium, ne labes ipſorum virtuti aſpergeretur, ſi externo milite in patria vterentur. Ego mallem in tanto periculo nonnihil de exiſtimatione remittere, & ſequi tutiora conſilia. Initio etiam per arrogantiam contempſerunt illud incendium, quod iam ita inualuit, vt verear ne ſero paretur medicina: nam imbelli & inermi multitudini quantum ſit fidendum non video. & audio non paucos ex Hiſpanis odio inquiſitionis ad Granatenſes deficere. quod nemini videbitur mi-

mirum, qui ſciat eam gentem ſuo quodã modo in Deum credere, & bonam partem piratarum Alghierenſium eſſe ex Hiſpania oriundam. Superiore menſe non procul a Melite inſula fuerunt interceptæ litteræ Granatenſium ad Turcicum Imperatorem, quibus petebant vt ad litora vicina freto Herculeo claſſem mitteret, a qua id tantum auxilii cuperent ſibi præſtari, vt portum aliquem eo in litore occuparet, quo poſſent habere liberiora commercia cum Afris. ſe enim deſtitui maioribus tormentis ad quatiendos muros vrbium; ſed ſibi ſatis eſſe virium ad ſuſtinendum hoſtium impetum. Nominabant in ſuis litteris Carthaginem nouam, Almeriam, & Malagam, quarum vnam ſi claſſis Turcica occuparet, dicebant ſe bene ſperare de toto bello. Legatus Turcicus profiſciſcens ad Regem Galliæ, fecit iter per Rhætos ante duodecim dies. Dicunt eum petere, vt liceat claſſi Turcicæ ad litora Gallica appellere, ac commeatum ac res alias neceſſarias in Gallicis vrbibus coemere. Bene vale, & clariſſimum dominum D. Rogenbachium meo nomine ſaluta. Argentorati, pridie Calend. Martii M D LXX.

XV.

DOmino Petro Ramo intercedit cum clariſſimo tuo parente amicitia mutuis litteris contracta. fratri tuo Ludouico aliquoties hu-

Digitized by Google

maniter ſua officia detulit Lutetiæ. credo etiam cum Doctore Philippo ipſi intercedere notitiam. Vide quibus vinculis ſis conſtrictus, & quaſi adigaris ad contrahendam cum ipſo amicitiam. Quoniam patriæ inſanienti induſtria ipſius iam vſui eſſe non poteſt, ne ad alias miſerias exilii accedat temporis iactura, conſtituit interea dum abeſt a patria, eas vrbes Germaniæ inuiſere, quæ bonis viris & doctis, ac bonis artibus florent. Quoniam autem inter eas veſtram primum locum obtinere non eſt dubium, ab ea ſuæ peregrinationis initium facere voluit. Eum tibi fruſtra commendare nolo, quoniam ſcio te viro claro non denegaturam eam humanitatem, quam omnibus exhibere ſoles. Diſceſſurus Argentorato dedi ad te litteras, & ad clariſſimum tuum parentem, quas incluſi faſciculo inſcripto domino D. Chriſtophoro. De rebus publicis nihil ferme habemus: nam de victoria Regis Alghieri ad Tunetum, & profligatis copiis Ioannis ab Auſtria a Mauris Granatenſibus, famam ad vos dudum perueniſſe non dubito. Saluta obſecro meo nomine clariſſimum dominum D. Rogenbachium, & commenda ei dominum Ramum. Bene vale. Francofurti, XXVII Martii MDLXX.

XVI.

DOminus Doctor Philippus tuus frater heri mihi dixit, ſe exiſtimare, clariſſimum veſtrum

ſtrum parentem iam eſſe in patria. Miratus ſane ſum, ipſum iſta ætate tantum iter auſum eſſe ſuſcipere, præſertim ingruente hyeme, & tempeſtatibus perpetuo incommodis, ſaltem in hac noſtra vicinia. Scripſi ad ipſum & ad fratrem Ludouicum Francofurto; ſed vereor ne litteræ meæ venerint Lipſiam poſt eorum diſceſſum. Ego iuſſus ab illuſtriſſimo noſtro Principe iam proficiſcar in Galliam, vbi vtinam in tui & tuorum gratiam aliquid facere poſſem. nam nihil mihi iucundius contingere poſſet, quam aliquo officio poſſe teſtari, me ſaltem eſſe memorem beneficiorum, quæ innumera a veſtra familia accepi. nam veſtra nimia humanitate ita me ad impudentiam asſuefeciſtis, vt non veritus ſim quidlibet & mihi & meis a vobis petere. Si quid aut tu, aut tui voletis mihi mandare, id facile poteritis facere; nam puto me adhuc hic hæſurum ad dies quindecim, & antequam hinc diſcedam, certiora de meo itinere ſcribam ad clariſſimum tuum parentem. Ita autem diſcedo, vt ſperem paulo poſt reuerſurum me eſſe in Germaniam. Noſtra comitia properant ad exitum, & iam agitur de inſtituenda diſciplina militari. Bonæ leges (ait ille) ex corruptis moribus; ſed quis obtemperabit? Filii ducis Ioannis Friderici ſunt reſtituti bonis paternis, & omnibus ſuis iuribus, indignante & obſiſtente (quantum in ſe fuit) patruo ipſorum;

Digitized by Google

ſed parum hactenus profecit. Nuper deprecatum eſt Heidelbergæ apud Imperatorem pro captiuo. Imperator reſpondit, ſibi non minus caram ſalutem captiui eſſe quam ipſi ſocero, & ſe, quidquid hactenus fecit in ea cauſſa, feciſſe ex conſilio Ordinum Imperii, ſeque poſtea idem facturum. Aiunt coniugem captiui prouolutam ad pedes Imperatoris, & effuſiſſime flentem petiiſſe ab eo, vt ſi nulla eſſet ſpes liberationis mariti, ſaltem pateretur ipſam cum eo in captiuitate viuere, addens ex Euangelio, non debere homines ſeparare eos quos Deus coniunxit. Poſt deprecationem Imperator iuſſit eam ſibi dextram in menſa aſſidere. Dux Ioannes Fridericus percipit hos fructus ex Flacianorum diſputationibus, qui perſuaſerunt ipſi, ſe regnum Iſrael per ipſum reſtituturos. Decima quinta huius menſis dicuntur hic celebranda ſponſalia Regis Galliæ, & paulo poſt abducetur hinc ſponſa. Lipſia breui ad vos venient adoleſcentes Galli proficiſcentes in Italiam ſtudiorum cauſſa. Non dubito quin ſint te ſalutaturi, quare eos tibi commendo. ſunt honeſtiſſimis familiis & optimis parentibus nati, & in religione & litteris bene inſtituti. Duo ſunt Canæi: tertius eſt Cognetius. Saluta amicos, & præſertim dominum Doctorem Rogenbachium. Si quid de noſtro Carolo Harlæo audiuiſti, peto vt id mihi ſignifices. Bene vale, Spiræ, IX Octobr. MDLXX.

XVII.

XVII.

HEri ad nos rediit Carolus Harlæus, qui veſtram erga ſe humanitatem ſatis prædicare non poteſt. Attulit mihi litteras a tuo clariſſimo parente, ad quas iam reſpondeo, & peto vt reſponſum hoc meum ipſi transmittas. Status harum regionum Dei beneficio eſt tranquillus, & præter paucos factioſos, iam omnes cepit tædium bellorum ciuilium, tam pontificios quam noſtros. Eccleſiæ noſtræ religionis vbique fere reſtituuntur, & ad eas fit magnus hominum concurſus. Agitur iam de coniugio inter Regis fratrem & Reginam Angliæ, & quidem cum non exigua ſpe. Si ſucceſſerit, eccleſiæ noſtræ erunt in tuto, & forte Hiſpanorum tyrannis in inferiore Germania reprimetur. Qui iam in aula ſummæ rerum præſunt, ſunt omnes pacis cupidiſſimi: nam factio Guiſiana iam parum aut nihil poteſt. Hæc raptim de ſtatu harum regionum; cum per feſtinationem tabellarii non detur plura ſcribere. peto vt amicos officioſe meo nomine ſalutes. Bene vale. Lutetiæ, XIX Junii MDLXXI.

XIIX.

QUoniam mihi iam eſt eundum Viennam decreueram apud me vos in itinere viſere. Verum quædam interuenerunt, quæ me conſilium mutare coegerunt. Redeo itaque in Miſniam, inde, vt ſpero, recta petiturus Vi-

ennam, vbi in noſtra aula quædam expediue-ro. De rebus publicis hic pauca habemus. Aiunt Albanum eſſe mortuum, & Middelburgum in Zelandia feciſſe deditionem, poſtquam audiuerunt qui erant in vrbe, claſſem inſtructam in Scaldi, vt ipſis ferrentur ſuppetiæ, accepto damno retroceſſiſſe Antvverpiam. Harlemum adhuc obſidetur a filio Albani. Gallica vobis eſſe nota exiſtimo. Rochella obſidetur & oppugnatur magnis viribus. Qui ſunt in vrbe, non ſolum hoſtis impetum ſuſtinent, ſed etiam interdum erumpunt, & ſe animum nequaquam deſpondere oſtendunt. Dux Aumalius globo ex vrbe emiſſo ictus interiit. Regii pacis mentionem denuo iniiciunt, vt noſtros in naſſam pelliciant. Sancerra in Biturigibus etiam a regiis obſidetur. Qui ſunt ad Nemauſum in Gallia Narbonenſi, ſatis validas copias habere, & quædam oppida ad Rhodanum recens occupaſſe dicuntur. Hæc de noſtris miſeriis. Turcica ſunt vobis notiora. Doctor Crato dedit mandatum Michaeli Bruto, vt ex his regionibus mitteret ad ſe iuuenem aliquem, cuius opera in filio inſtituendo vti poſſit. Quidam boni viri Bruto indicarunt hunc Stephanum Dinitum, eiusque mores & eruditionem prædicarunt. Brutus itaque ei perſuaſit, vt ad Cratonem iret: quod cum iam faciat, dedi ei has litteras, vt ex iis haberet occaſionem conueniendi te. Bene vale & ſaluta amicos,

cos,præſertim clariſſimos dominos Doctores Herdeſianum & fratrem tuum. Mito ad te libellum, qui noſtræ gentis ſcelera continet. Francofurti, XXIV die Martii MDLXXIII.

XIX.

QUam mihi ſuauis fuerit tua & clariſſimi tui fratris conſuetudo, tum demum intellexi, poſtquam a vobis diſceſſi. reliquam enim Bohemiam & Morauiam mœſtus pertranſii, nec ex vlla re voluptatem percepi antequam venirem Brunnam, vbi reperi Doctorem Jordanum medicum veterem amicum, qui me excepit humaniſſime, nec quidquam prætermiſit, quo ſuam erga me beneuolentiam teſtari poſſit. Cum (vt ſolet inter amicos fieri) de variis rebus colloqueremur, & dicerem nos Lipſia Pragam vsque vna iter feciſſe, ſubiecit, tuam virtutem & eruditionem ſibi iamdudum eſſe notam, ſed ſe dolere quod hactenus nullam potuerit nanciſci occaſionem contrahendæ tecum notitiæ & amicitiæ. Imo vero dixi, omnibus bonis ſemper patet aditus ad beneuolentiam, & præſertim iis, qui eadem humanitatis & litterarum ſtudia ſectantur, quæ ipſe; & non ſolum perſuaſi vt ad te ſcriberet, ſed etiam ſpopondi, te ipſi in amicitia non ceſſurum. Quare etiamſi in promittendo præproperus, vel forte etiam temerarius fuerim, tibi tamen danda erit opera, vt fidem meam liberes. nec tibi mirum eſſe debet,

bet, ſi cupidius id agam, vt coeat amicitia inter eos, quos amo. Litteras ipſius Jordani ad te mitto, ad quas ſi voles reſcribere, & litteras tuas ad dominum Doctorem Cratonem vel ad me miſeris, diligenter curabuntur. Hic viuo apud optimum virum Doctorem Michaelem Linghelium, qui te nouit in Italia, & eſt tui amantisſimus, petiitque a me vt te ſuo nomine ſalutarem. Dominus Doctor Crato antiquum obtinet: nam non bene conuenit ipſi cum omnibus, mihi autem omnia humanitatis officia exhibet. Quid quæſo iudicatis iſthic de Polonicis comitiis? potuitne quidquam magis mirum contingere? Nos ſtulti exiſtimabamus, facinus in Gallia perpetratum obfuturum Andegauenſi, at (quantum audio) plurimum profuit; nam ea res ſola ipſi Pontificis Romani & Eccleſiaſticorum animos conciliauit. Hæc aula eſt mœſtiſſima, nec id diſſimulare poteſt. Imperator premit alto corde dolorem: nam impoſſibile eſt quin vehementer doleat, cum ipſi, tot neceſſitudinibus coniuncto cum demortuo Rege, regnum illud deberi videretur, eiusque adipiſcendi a multis annis facta eſſet quaſi certa ſpes, & ſit præreptum ab eo, de quo ante non multos menſes ne ipſi quidem in mentem venire potuiſſet. Fuit ea impudentia in quodam Jeſuita, vt hic nuper pro concione dixerit, eſſe agendas gratias Deo, quod Poloni Regem tam Catholicum elege-

elegerint, quem non dubium ſit propter veræ religionis defenſionem & profeſſionem ad tantam dignitatem eſſe euectum a Deo, qui etiam olim plurima beneficia contulit in illuſtriſſimos Principes Auſtriacos, ob eiusdem veræ religionis profeſſionem. Si hic per veram religionem pontificiam intelligit, hi ſane noſtri Principes, in eius profesſione, nulli ex maioribus cedunt : quod ſatis nuper teſtati ſunt, cum circumgeſtaretur illud idolum, in feſto corporis Chriſti, vt loquuntur, quod hic magna pompa celebrari ſolet. Nam Rex Rudolphus & Archidux Erneſtus pedites ſequebantur idolum, accenſa geſtantes funalia. Non multi ex ciuibus honeſtioribus ſe illi pompæ adiunxerant, & cum plurimi effuſi eſſent in plateas ſpectandi cauſſa, pauci eorum prætereuntibus Principibus honorem exhibuerunt, ne idolo exhibere viderentur. De rebus Turcicis nondum quidquam certi hic habemus. Gallica & Belgica a vobis exſpectamus. Peto vt litteras ad Doctorem VVierum per occaſionem mittas Heidelbergam, & officioſe ſalutes amicos. Mitto epitaphium Ziſchæ quod ex eius ſepulcro deſcripſi. Bene vale. Viennæ, XXVII Maji MDLXXIII.

XX.

DIſcedenti hinc domino Ioachimo Regio litteras ad te dare conſtitueram, iamque eas

eas ſcripſeram; ſed neſcio quomodo accidit,vt abfuerim ab hoſpitio meo, cum me ſub diſceſſum quæſiuit, nec meus puer ipſi tradidit litteras, quamuis id ipſi a me mandatum eſſet. Ab eo tempore nihil ſcripſi,quia fere hic nihil habemus, quod ſcribamus, cum ſimus tantum ſpectatores ſtultitiæ vicinarum gentium, quæ ſe mutuis vulneribus conficiunt. Imperator tota hac æſtate recte valuit, niſi quod ante menſem tentatus eſt podagra, qua tamen cito eſt liberatus. Fiunt interdum excurſiones a Turcis in eam partem Hungariæ, quæ ſubeſt Imperatori, cuius milites plerumque par pari referunt; & ita fit compenſatio iniuriarum, nec propterea cenſentur violatæ induciæ. Fugit huc nuper ex Transſyluania Bekesſius, qui fuit legatus Vaiuodæ defuncti in proximis comitiis Spirenſibus. Cum multum valeret gratia apud Vaiuodam defunctum, dono ab eo accepit Comitatum de Fogaraz,quem emerat a Maillato triginta millibus thalerorum, quamuis a pluribus æſtimetur centum & ſexaginta millibus. Eum comitatum voluit redimere is, qui iam eſt Vaiuoda, & tradere filiis fratris, qui nati ſunt ſorore Maillati, & obtulit pretium quod perſolutum erat Maillato, & ad illud voluit addere nouem millia Hungaricorum aureorum; verum Bekesſius non accepit conditionem, & in aliis etiam rebus non fuit ſatis obſequens Vaiuodæ. qui tandem irritatus,

tus, obſidione cinxit arcem Fogaraz, quæ dicitur eſſe munitisſima, eamque adhuc obſidet. Bekesſius elapſus huc venit, & vt vulgo fertur, petit auxilium ab Imperatore. Male habet Polonos, quod Rex ab ipſis electus ſuum ad ipſos aduentum non magis acceleret. Et ſane ea mora in ſe habet aliquid periculi: nam Prusſia non eſt ſatis pacata, & videtur quærere occaſionem eam turbandi Coska præfectus Marieburgenſis, qui habet collectum militem non procul a Dantiſco. Calamitatum Galliæ & inferioris Germaniæ fama ad vos citius quam ad nos peruenit, quare de iis nihil ſcribam. Clasſis Hiſpanica ſub initium huius menſis fuit ad Drepanum, necdum tota conuenerat. Miror Hiſpanos tamdiu differre ſuam nauigationem in Africam, & non metuere hybernas tempeſtates. Puto noſtrum Harlæum eſſe in Saxonia. Iam ſecundo miſſus eſt in Germaniam a Rege Galliæ. Faxit Deus vt ea res ipſi bene cedat, & memor ſit religionis, quam nobiſcum in Germania eſt profeſſus. Nactus ſum tandem poema, vel potius fragmentum poematis Michaelis Hoſpitalis, quod ſæpius a me petiiſti. Mitto & aliud poema Eliæ Coruini, quem multi reliquis poetis Germanicis præferunt. Viennæ, XXVI die Octobr. MDLXXIII.

XXI.

XXI.

FUit apud nos ante menſem Doctor Andreas Paullus, qui mirum in modum prædicabat tuam, fratris tui, ac Doctoris Chriſtophori erga ſe humanitatem. Habebat autem pro non parua felicitate, quod ei data fuiſſet occaſio arctiorem amicitiam vobiſcum contrahendi. Fuit hic clementer receptus ab Imperatore, qui etiam eius ingenium laudauit. Omnes vero conſiliarii ſummam ei humanitatem exhibuerunt, & oſtenderunt ſe eius amicitiam magni facere. Reuerſus in Miſniam incidit in illas turbas theologicas, quæ metuo ne multum damni illis regionibus adferant. Poloni tandem conſecuti ſunt ſuum Regem, quod vtinam ſit fauſtum ac felix ipſis, poſtquam Deo viſum eſt, vt eum ſibi præficerent. Venienti Cracouiam prodierunt obuiam ad decem millia equitum, & ad ſex millia peditum. Quamuis mane diſceſſiſſet ex hoſpitio, quod ſeſquimilliare tantum ab vrbe aberat, non potuit tamen eo peruenire ante ſecundam horam noctis, tum propter multitudinem eorum quos ſecum trahebat, tum propter ceremonias quibus ſunt vſi proceres Polonici: plures enim orationes ad ipſum habuerunt, ad quas ipſi fuit reſpondendum. Polonici proceres receperunt tantum quinque aut ſex ex Gallis, qui Regem ſunt comitati in ſuos ordines. reliqui, cum viderent ſe negligi, nec

gi, nec ſibi honeſtum locum in ea pompa tribui, citatis equis contenderunt in vrbem. Conqueruntur autem omnes nullam fere ſui rationem haberi, & Polonos eſſe parum memores humanitatis, quæ ipſis exhibita eſt in Gallia. Noſter Harlæus eſt in eo comitatu. Is ſe totum ita credidit aulæ procellis, vt metuam, ne quando incidat in infeſtos ſcopulos, qui vbique fere in illo vaſto mari occurrunt. Scripſit ad me Cracouia, ſe hac in reditu iter facturum, niſi Rex ipſum alio ablegauerit. Cuperem cum eo colloqui, eius potius, quam me a cauſſa. Ingreſſus eſt Rex Cracouiam XVIII die ſuperioris menſis, & XXI eſt inauguratus ſub meridiem. Diſceptatum eſt inter pontificios, & eos qui puriorem religionem profitentur, de formula iurisiurandi quod præſtandum erat: pontificii enim nolebant quidquam adiici ad iusiurandum, quod Reges eius prædeceſſores vſurparunt; alii autem volebant ſibi de religione caueri, ſicut ipſis a Valentino Epiſcopo & etiam ab ipſo Rege Lutetiæ promiſſum erat. Poſt longam diſceptationem conſenſerunt pontificii, vt veteri formulæ hoc adderetur: *pacem & tranquillitatem inter disſidentes de religione tuebor, ac manutenebo.* Clades, quam nuper acceperunt Hiſpani, reddidit hanc noſtram aulam valde ſollicitam, quæ videtur rebus Hiſpanorum magis affici quam ſuis: quamuis ſane ſatis habeat

beat domi quod curet. nam fama de impetrata a Turcis prorogatione induciarum euanuit, & fiunt iam in Hungaria excurſiones tam crebræ, vt parum a iuſto bello differre videantur. Turcæ nuper diripuerunt & incenderunt ſuburbium Kanyſiæ, vnde magnam vim captiuorum abduxerunt. Rex Rudolphus & Archidux Erneſtus profecti ſunt Poſonium ad conuentum Ordinum Hungaricorum. Audimus fieri Conſtantinopoli maximos apparatus nauales ad inuadendam Italiam; ſed Hiſpani ſe ad defenſionem remiſſe parant. Ego tibi omnia fauſta ac felicia precor, & oro vt clariſſimum tuum fratrem, Doctorem Chriſtophorum, & Dominum Regium officioſe meo nomine ſalutes. dominus Chriſtophorus Carolouicius eſt hic. Viennæ, menſe Martio MDLXXIV.

XXII.

QUamuis ſciam moribus eſſe receptum inter eos, qui humanitatem colunt, vt amicos, quibus aliquid grauius accidit, conſolentur, ac teſtentur ſe in eorum calamitate dolere; hoc tamen amici erga te officium, audita morte clariſſimi tui parentis, prætermiſi: quia mors ipſius in id tempus incidit, vt ſi excipiamus illos affectus a natura nobis inſitos, in quos non habemus imperium, fere non videam quamobrem magnopere doleamus. Nam

eo

eo fuit animo, vt ſi morbum ſuperaſſet, reſeruatus fuiſſet ad gemitus & lacrymas tantum, ob calamitates, in quas præcipuos eius amicos incidiſſe videmus. Fuit quidem adhuc in eo idem ingenii vigor, qui in iuuene fuerat, & admirabilis (vt in ea ætate, & tam afflicta valetudine) laboris patientia: ſed cum grauiſſimis morbis ita fere aſſidue conflictabatur, vt ea res ſummum dolorem adferret iis omnibus, qui eum amabant; cum præſertim viderent eum, ob ætatem, nulla alia re quam morte ab iis cruciatibus liberari poſſe. Id autem maxime tibi dolorem lenire debet, quod non dubitas, eum iam vita longe feliciori cum Deo frui. Ad id accedit, quod ille excellenti vi ingenii ſui, & indefeſſo ſtudio bene merendi de genere humano, ſibi tam illuſtre nomen comparauit, vt eius memoria futura ſit ad omnem poſteritatem veneranda: omnesque qui erunt exculti litteris & non expertes humanitatis, vos felices tali parente iudicabunt, & ſe vobis eo nomine aliquid debere ſentient, quod publice & priuatim de tam multis ſit bene meritus. Quantum ad me attinet, is vnus mihi ſuperfuit, quem vt parentem colerem, & ſum ſæpius expertus eum paterno erga me fuiſſe animo. Quandocunque autem iſthuc ad eum defeſſus longa peregrinatione accedebam, quod ſæpius a me factum meminiſti, eius prudentibus ſermonibus ita recreabar, vt mihi inducerent

ducerent obliuionem moleſtiarum, quas in itinere pertuleram, & videbar mihi non abſimilis eis, qui tempeſtatibus agitati, in tutum portum appellunt. Vt vno verbo dicam, ſupererat vnus ex præſtantibus, quos non paucos Germania vno tempore, tanquam poſtremo nixu protulit, qui ſancta conſpiratione inter ſe facta, contulerunt quidquid habuerunt ingenii & induſtriæ, ad labefactandam tyrannidem, qua Pontifex Romanus orbem Chriſtianum oppreſſum tenebat; nec defuit ipſorum piis conatibus ſucceſſus. Sed vereor, ne graue illud vulnus, quod cum magna gentis Germanicæ gloria furenti illi beſtiæ inflixerunt, ſanetur ambitione & imperitia eorum, qui in locum, non in virtutes præſtantium illorum heroum ſucceſſerunt. Sed de his. Imperator nullum genus humanitatis prætermiſit erga Regem Galliæ, quamdiu hic fuit. & fideliter eum monuit, vt ſi rebus ſuis conſultum vellet, componeret bella, quibus iam ardet Gallia, nec fidem haberet iis, qui contrarium ſuadebunt. nam pleroſque id facturos, non vt ipſi, ſed vt ſibi conſulant. Vereor ne Itali ad quos eſt profectus non idem ſuadeant quod Imperator, quamuis ſane ſi ſaperent, idem conſulerent: nam ſi regnum Gallicum plane euertatur, ipſi erunt præda Hiſpanorum, & tandem forte Turcarum. De rebus Gallicis quæ iam hic habemus ſunt incertiſſima. Nondum

dum hic ſcimus, quid ſit tentatura claſſis Turcica, quæ iam eſt ad Peloponneſum. Multi putant eam inuaſuram Tunetem & Gulettam, alii vero tantum direpturam litora Calabriæ & Apuliæ; ſed metuunt Itali ne hybernet in mari Ionio. Scribe obſecro de veſtris rebus, ac etiam quid acciderit Brunſuicenſi, aduerſus quem audimus inſtitutam fuiſſe conſpirationem. Scribe etiam quo deuenerint Skenæus & Colladonus; nam non reſpondent ad litteras, quas ad eos dedi & ad D. Malberghum. Si iſthinc abeſſet Parentius, potes reſignare litteras ipſi inſcriptas. Obſecro ne tradas litteras meas ad Dominum Zeſchium & ad Dominum Doctorem Andream tabellariis ignotis, & ignoſce quod te onero tot moleſtiis: ſed illi ad me ſcripſerunt, ne cuiquam præterquam tibi litteras ad ipſos concrederem. Accepi faſciculum in quo erat ſyngrapha Helfrichii, pro qua re ago tibi maximas gratias. Ego tibi & toti tuæ familiæ omnia fauſta & felicia precor. Viennæ, XIV die Julii MDLXXIV.

XXIII.

Calamitates amicorum noſtrorum ita me perturbant, vt mihi fere mentem ademerint: non enim patiuntur me quieſcere, & ſi quid meditari incipio, perpetuo mihi in animum recurrunt, meque a meo inſtituto abducunt. Sum iam per multos annos cum ſummo

Digitized by Google

mo dolore ſpectator patriæ pereuntis, ſed tamen mali diuturnitas ſtuporem aliquem induxit, & ſenſum nonnihil obtuſiorem reddidit. Præterea ſupererat mihi Miſnia tanquam altera patria, in qua bonam partem ætatis tranſegi, & amicitiam vere fraternam cum multis contraxi & colui; quæ res meo dolori leuamen aliquod adferebat. Nunc vero, quid me infelicius, cum eos omnes, cum quibus amicitiam colebam, vno fortunæ ictu proſtratos videam? Sed faceſſant querelæ, quarum nullus futurus eſſet finis, ſi animo meo indulgere vellem. Hic dolor impediuit, ne hactenus ſaltem litteris apud te teſtarer quam mihi fuerit acerba mors clariſſimi tui parentis; cum nemo viueret, quem pluris facerem, aut quem magis colerem. Sed tamen poſtquam diligentius perpendi, in quæ temporis momenta mors eius inciderit, iudicaui Deum clementiſſimum ideo tunc ipſum ex hac vita in æternam felicitatem euocaſſe, ne eſſet ſpectator eorum, quæ eius mortem ſtatim ſunt ſubſecuta. nam id fuiſſet ipſi ipſa morte triſtius. Metuendum etiam erat ſi ſuperuixiſſet, ne ii, qui hanc tragœdiam excitarunt, eius venerandæ ſenectuti non parcerent: nam video eos odio cœcos ferri, nec virtutis aut dignitatis in hominibus rationem vllam habere. Si autem malum hoc acceſſiſſet ad illos ingentes cruciatus, quos ex morbo ſentiebat

quic

quid & ipſo infelicius, & nobis omnibus qui ipſum colebamus? Nunc vero fruitur vita illa beata, nec iam homines quidquam in eum iuris aut poteſtatis habent. Quamdiu autem erunt aliqui, qui virtutem & bonarum litterarum ſtudia colent, eius nomen feretur per ora hominum & ad poſteritatem erit magis illuſtre. Imperator exhibuit omnia veræ humanitatis officia Regi Galliæ hac iter facienti: ſed (quantum audimus) Veneti eum longe ambitioſius exceperunt. Videntur iam eſſe in Gallia quædam feriæ a bello: omnes enim cupide exſpectant Regis aduentum, quem putant daturum operam, vt incendium hoc, quo iam ardet Gallia, reſtinguatur. Imperator ſane ſuaſit ei vt hoc faceret, nec ab ea re viſus eſt hic abhorrere; ſed reperiet multos in Italia & in Gallia, qui alia conſilia ei ſuggerent: quibus ſi obſecutus fuerit, pœnitebit forte eum, cum non amplius erit locus pœnitentiæ. Indicta ſunt Varſauiam comitia regni Polonici ad vigeſimum quartum diem huius menſis, ad quæ conueniet tota nobilitas armata. Sunt multi inter ipſos, qui volunt alium regem eligere; ſed non omnes idem ſentiunt, & erit facile paucis plures impedire. Ego tibi & toti tuæ familiæ omnia fauſta & felicia precor, & peto, vt amicos meo nomine ſalutes, & præſertim fratrem

H tuum,

tuum, & Doctorem Chriſtophorum. Viennæ, XVI die Auguſti MDLXXIV.

XXIV.

FUi nuper in Morauia cum D. Jordano, qui duxit me Euangicium, vbi fratres VValdenſes habent præcipuam ſuam eccleſiam, Locuti ſunt mecum de noſtro Eſromo, & oſtenderunt ſe valde expetere eius ad ſe aduentum. Scripſerat paulo ante ad ipſos Doctor Crato: ſe improbare ipſorum conſilium de accerſendo Eſromo; ſe enim metuere, ſi eo veniret, ne illuſtriſſimus noſter Princeps de eo ad Imperatorem ſcriberet, Imperatorque in eius gratiam aliquid durius in Eſromum conſtitueret. Verum cum ad ipſos veniſſem, facile illis exemi illum ſcrupulum, & præſertim generoſo Domino Joanni Zerotino, viro magnæ virtutis, qui eſt præcipuus fautor & patronus illarum eccleſiarum, & omnium bonorum virorum, ita vt tunc omnino decreuerint noſtrum vocare, promiſitque mihi Dominus Baro Zerotinus, ſe eius patrocinium ſuſcepturum, & ſi quid tale accideret, quale metuebat Doctor Crato, ſe dicturum Imperatori, vocatum eum a ſe vt ei filium inſtituendum tradat. non licere autem Imperatori inquirere in miniſtros domeſticos procerum Morauiæ. Commodum accidit, vt ſub meum aduentum in hanc vrbem Doctor Crato acce-

perit

perit litteras ab Eſromo, qui ſcribebat, ſe vocari ab Heidelbergenſibus, Baſileenſibus, & a fratribus VValdenſibus: animum autem magis inclinare in VValdenſes. ſed ab aliquot menſibus nihil ſe ab eis litterarum accepiſſe, & propterea metuere, ne ſententiam mutauerint. Cum legiſſem litteras, dixi Cratoni, quid de ea re a nobis eſſet actum in Morauia, & facile ei perſuaſi vt conſilium noſtrum probaret. Conſului autem vt generoſo Domino Zerotino ſtatim ſignificaret, quo animo ſit Eſromus, quod promiſit ſe facturum, & credo eum feciſſe. Idem ego ſcripſi ad Jordanum, qui Eſromi cauſſam diligenter agit. Veniet Eſromus ad homines conuenientes ſuis moribus, hoc eſt, ſine pompa & fuco, & quos beneficos erga ſe experietur. Præcipue concionatores amant eum vt præceptorem. Senior, qui eſt tanquam Superintendens, etiamſi forte de facie eum non nouerit, valde tamen eius aduentum expetit. Habebit commodum amicum Doctorem Jordanum, virum ingenioſum, doctum & prudentem, cujus conſilio in ſuis rebus vti poterit. Hæc tibi de eo indicare libuit, quæ ſpero tibi non fore ingrata. Legatus Turcicus veniens in hanc vrbem acceptus eſt honorifice: nam Imperator miſit ei obuiam ſuum Mareſchalcum, cum toto ſatellitio aulico, cui ſe adiunxerunt plurimi ex nobilitate. id factum eſt Calendis huius menſis.

nudius tertius expoſuit Imperatori ſua mandata. Credo principem Turcarum concedere Imperatori prorogationem induciarum, iisdem plane conditionibus, quibus parens eius paulo ante mortem eas conceſſerat. conditiones adhuc ignoramus. Eſt in ipſo legato dignitas formæ, & vt mihi videtur morum elegantia. Aiunt eum natum Ratisbonæ matre Viennenſi, & captum a Turcis eo anno, quo Viennam obſederunt. iudico ex aſpectu eum eſſe ſexagenarium, vel forte paulo maiorem. Imperator petit a Bohemis magnam ſummam pecuniæ ad perſoluenda ſtipendia militi, qui ad fines Turcicos excubat, vel ad diſſoluendum æs alienum, quod reliquit Imperator Ferdinandus. Legatus Turcicus ſolet dicere, Selimum Imperatorem caſtigaſſe Venetos & Hiſpanos, Cypro & regno Tunetano eis ademptis; ſupereſſe caſtigandum Pontificem Romanum, qui fuit auctor fœderis inter ipſos: quem non dubitat, quin hic Amurathes breui ſit caſtigaturus. Bene vale. Clariſſimos viros fratrem tuum, & Doctorem Chriſtophorum ſaluta meo nomine. Pragæ, IX. Martii MDLXXV.

XXV.

QUoniam in itinere venit mihi in mentem, me heri audiuiſſe, veſtros adhuc ablegaturos tabellarium Francofurtum ante finem

nera mercatus, peto a te, vt ſi quas ad me litteras acceperis, eas mihi mittas ad ædes VVecheli, ſi exiſtimaueris mihi reddi poſſe ante diem ſextum Aprilis, ante quem non credo diſceſſurum Francofurto. Occurrit mihi quidam in via, cui de ea re ad te mandatum dedi, qui neſcio an id præſtiterit quod promiſit. Bene vale. in Emskirchem, XXVII Martii

XXVI.

SI rebus meis conſultum volo, neceſſe eſt, vt in meo reditu in Bohemiam per Miſniam iter faciam: verum eo non inclinat animus, & de ea re adhuc per biduum mecum deliberabo. Peto autem a te, vt ſi quas ad me litteras apud te habes, eas tradas Joanni Aubri noſtro bibliopolæ, a quo eas Pragæ repetam. Nec in Gallia, nec in inferiore Germania adhuc vlla ſpes pacis elucet: nam vtrique Regi eæ pacis conditiones proponuntur, vt non dubitem, quin ſint eas reiecturi. Non eſt fabula quod audiueramus de venditione bonorum eccleſiaſticorum in Gallia. Monachi & alii ſacerdotes clamant pro ſuggeſtu, & congerunt conuicia aduerſus eos, qui ſunt Regi a conſiliis, a quibus omnia vitæ ſubſidia ſibi eripi dicunt, & negant ſe poſthac miſſas celebraturos. Pariſienſis clerus ſcripſit litteras menſe Nouembris ad Cardinalem Lotharingum, in quibus eum acerbiſſime perſtringe-

bat, vel potius conuiciabatur: nam totam huius rei culpam in eum reiiciebat, & dicebat, ex patrono & defenſore eccleſiæ factum eſſe apoſtatam & prædonem. Mironus regius medicus dixit cuidam bono viro, a quo hæc audiui, adeo commotum fuiſſe illis litteris Cardinalem, vt ea res præbuerit cauſſam morbo, quo interiit. Rex conſcribit militem, & congerit ex illis venditionibus fundorum eccleſiaſticorum pecuniam, quam mittat in Poloniam. Ego omnia fauſta & felicia tibi precor, & oro vt officioſe ſalutes meo nomine clariſſimos viros Dominum Doctorem Chriſtophorum & tuum fratrem, quibus & tibi maximas gratias ago pro ea humanitate, qua nuper erga me vſi eſtis. Francofurti, quinta die Aprilis MDLXXV.

XXVII.

NOſter Eſromus hac faciens iter mihi viſus eſt eſſe præſentiore animo, quam vnquam fuerit VVittenbergæ, dum ſecuro otio fruebatur: tantum abeſt, vt eum calamitates fregerint. animus bene conſcius eam ipſi alacritatem præſtat. Trebicium, quo hinc eſt profectus, abeſt viginti milliaribus eo itinere, quo itur Viennam. Accidit incommode quod Baro Zerotinus, a quo eſt vocatus, Stephanus ſenior eccleſiarum Morauicarum, & magiſter Eſaias, qui ipſum Eſromum tanquam parentem co-

colit eodem die, quo hinc diſceſſit, ſub veſperam venerunt huc, vbi aliquandiu fuit ipſis commorandum ob diſceptationes de religione. Vbi de eius profectione fuerunt certiores facti, ſtatim miſerunt ad eum iuuenem peritum linguæ Germanicæ, qui eſſet ei dux itineris; qui ita properauit, vt poſtridie ſub meridiem ſit eum aſſecutus. Reperit Trebicii M. Joannem Æneam miniſtrum verbi, virum doctum, & Marcellum medicum Italum. Mihi percontanti, quid de eo conſtituiſſent, reſponderunt Baro Zerotinus & Stephanus Senior, ſe nondum quidquam conſtituiſſe, ſed ſe poſt reditum in patriam ducturos eum Euangicium, vbi eſt præcipua fratrum eccleſia: ibi enim habitat Senior, qui eſt tanquam ipſorum Epiſcopus ſeu Superintendens. poſtea deliberabunt cum eo, vter locus ſit commodior ad conſtituendam ſcholam, Euangiciumne an Trebicium. Ab eo tempore de ipſius Eſromi rebus nihil audiui: nam Jordanus, qui ad me ſæpius ſcribere ſolet, dudum eſt apud quendam ex perceribus Morauiæ grauiſſime decumbentem, qui non permittit, vt a ſe diſcedat. ſcripſit ad me tamen, ſe dolere, quod nondum ſibi licuerit videre Eſromum, cui ſemper fore parata ſua officia promittit. De rebus Polonicis multa hic dicuntur, ſed quæ non ſunt ſatis certa. Ante aliquot dies conceperant hic non exiguam ſpem, cum dicere-

Digitized by Google

tur, factum eſſe decretum de interregno; verum quia non fuit publicatum eo die, quo publicari debuit, ſpes illæ ſunt nonnihil imminutæ. Ii, qui regnum ambiunt, ſunt plurimi: qui quoniam ſe mutuo impediunt, Galli ſperant ſe illud retenturos; quod forte fiet, ſi ſint vera, quæ de pecunia ex Gallia in Poloniam mittenda iactitant. Bohemi ſuam fidei confeſſionem ante viginti dies Imperatori exhibuerunt, ſed nondum ab eo reſponſum acceperunt. Credo quod reſpiciat ad comitia Polonica, & metuat ſi ſuam ſententiam de confeſſione protulerit, ne vel Pontificios, vel Euangelicos, vel vtroſque offendat. Saluta obſecro meo nomine clariſſimum tuum fratrem, & reuerendum M. Mauricium, ac reliquos amicos. Ego vobis omnibus maximas gratias ago pro exhibita mihi humanitate. Bene vale. Pragæ, IX die Junii MDLXXV.

XXVIII.

TAndem me ex noſtra aula extricaui. Impetraui enim ab illuſtriſſimo Saxoniæ Electore principe meo vt liceat mihi hinc diſcedere, & proficiſci quocunque libebit. Conſtitueram in Galliam proficiſci, ſed vereor ne incendium culpa Regis ibi recens excitatum cogat me mutare conſilium: quamuis audiam, plures id agere, vt illud reſtinguant. Proficiſcar Francofurtum, & ibi de rebus meis delibe-

deliberabo ac conſtituam. Princeps humaniſſime reſpondit ad litteras, quibus dimiſſionem petii, & mihi benigne conceſſit quidquid ab eo poſtulaui, & ab eo tempore longe frequentius ad me ſcripſit, quam ſolitus ſit his proximis annis facere. Doctor Peiferus, qui amoto Lindemanno primas iam obtinet, humaniſſime reſpondit ad breues litteras, quas ad eum dederam, & mihi prolixe ſua officia detulit; cum tamen Ratisbonæ vix auſus fuerit me alloqui. Hæc ideo refero, quia videntur mihi eſſe ſigna inclinatæ fortunæ eorum, qui tantorum malorum ſunt auctores. Adde ſi voles, quod Doctor Andreas Paulus, quem noſtræ ruinæ adiicere conati ſunt, iam eſt miſſus a Principe ad Colonienſem & alios vicinos Principes, quæ res iſtos haud dubie vret. Audio etiam noſtrum Peucerum minus arcte cuſtodiri quam antea, & paulo liberalius haberi. Sed de his coram: ſpero enim me ad vos venturum intra viginti dies. De contentione inter Cratonem & Dodonæum non dubito quin ante audiueris. vtrique interdictum eſt, ne quid poſthac ſcribant. Cratonem male habet, quod his vinculis conſtringatur, cum præſertim iam abundet otio, & certe audio ipſum in patria multis faceſſere negotium. Dictum eſt mihi ante aliquot dies Jordanum grauiter ægrotare, nec ab eo tempore quidquam de ipſo ſcire potui, etiamſi

diligenter percontatus ſim plurimos. Ea r
valde me ſollicitum habet. nam ipſum
animo diligo, & a prima eius adoleſcentia e
pertus ſum ſemper conſtantiſſimum eius er
me amorem. Cluſius ante quatuor aut quin
que dies diſceſſit a nobis: moroſitas auli
quæſtoris hic eum diutius detinuit, quod mi
hi fuit gratum. Bathorius adhuc hæret a
Dantiſcum, & longe maiores copias quam an
te colligit ad oppugnandam miſeram vrbem
Senatus & præcipui ciues pacem expetunt
plebs vero incitata a quibusdam factioſis ho
minibus præfert bellum: quod geritur cum
maximo incommodo, non ſolum ipſius vrbis
ſed etiam Polonorum. nam interea dum il-
lic hærent, Moſchus libere peruagatur Liuo-
niam, quæ dicitur tota ſe certis conditioni-
bus ſubieciſſe. Poloni fremunt ac nobis ſuc-
cenſent: nam exiſtimant artibus huius aulæ
factum eſſe, vt Dantiſcani non acceperint
conditiones pacis, quas ipſis obtulit Batho-
rius. Quidam ex Sileſiis, qui ad fines Polo-
niæ habitant, ſe ad loca tutiora recipiunt;
quamuis forte ſit vanus eorum metus. Iam
impoſitus eſt finis conuentui Bohemico, in
quo nec de religione, nec de reſtituendis
ſcholis eſt quidquam conſtitutum, ſed tan-
tum de conferenda pecunia, qui vnicus fere eſt
ſcopus, in quem iam ſuas actiones dirigunt
Principes. Rogo vt litteras inſcriptas Vrſino
per

per occaſionem ad ipſum mittas. Bene vale, & amicos ſaluta. Pragæ, Calendis Martiis MDLXXVII.

XXIX.

MEus ad vos recurſus id tantum habuit incommodi, quod mihi bibliopolia ſcrutari non licuerit: nam poſt reditum tot interpellatores hic habui, vt vix mihi licuerit pedem efferre ex ædibus quas inhabito. Habui fratrem tuum commodum itineris comitem ac officioſum. Deprehendi in eo plus ingenii quam exiſtimabam. nam cum ante aliquot annos vna proficiſceremur Lipſia Dresdam, vix in toto itinere vnum aut alterum verbum ex eo extundere potui; quod cum Lipſiam reuerſus veſtro parenti dicerem, reſpondit mihi, ipſum imitatione Saxonum, quibus conuerſabatur, taciturnitatem affectaſſe, qua re animaduertebam optimum ſenem offendi. Poſthium Herbipoli non offendimus. Nemo dubitat, quin Elector Palatinus cogitet de magna mutatione in Eccleſia Heidelbergenſi, cuius tamen nondum factum initium. Dux Caſimirus (vt audio) conſtituit ad ſe recipere Vrſinum & Vœgelinum, & vt exiſtimo, Ehemium, ſi Heidelberga diſceſſerit. Zuligerus iam ei condixit ſuam operam. De rebus Gallicis nihil niſi triſte. Pelluntur ex aula omnes auctores moderato-

rum conſiliorum. Bellum geritur cum a
colis, qui ab ignauo milite nefarie ſpolian
Quæ de defectione Danuillii a noſtris d
bantur, ſunt falſa. venit quidem in ſuſpic
nem apud quoſdam, ſed ſe ita purgauit,
ipſis ſatisfecerit. Areſcotus & Ordines B
gici dicuntur prodere libertatem patriæ Jo
ni ab Auſtria, cui in omnibus obſequunt
Orangio non tam facile imponetur. Hiſp
ſubſiſtunt ad Traiectum Moſæ, & ſtipen
flagitant. Vbi generoſus Dominus Sydn
ad vos reuerſus fuerit, rogo, vt ipſi reddas l
teras, quas ad ipſum ſcribo, & faſciculum i
ſcriptum Claudio de Marne bibliopolæ trad
Domino Joachimo Oxefeldero, qui eum mi
tet Pragam. Bene vale, & amicos ſaluta. H
ſcribo occupatiſſimus. Francofurti, nona d
Aprilis MDLXXVII.

XXX.

LIcuit mihi fere totos viginti dies frui ſu
uiſſima conſuetudine generoſi Domi
Sydnæi. Iui enim cum eo Heidelbergam, &
inde proſecutus ſum eum Coloniam vſque, v
animum meum explerem voluptate, quan
diſcedens omnem ſecum abſtulit, ac in eiu
locum dolorem & mœrorem ſubſtituit. Du
Caſimirus nullum genus humanitatis erg
ipſum prætermiſit. Profectus eſt Colonia Ant
uerpiam, & inde Bruxellas, vbi audio reddita
fuiſſ

fuiſſe ei litteras a Regina, quibus iubebatur ire ad Principem Orangium, vt nomine Reginæ fideiuberet in baptiſmo filiæ ipſi Principi recens natæ. Humanitatis, quam iſtic ipſi exhibuiſtis, & voluptatis, quam ex veſtra conſuetudine cepit, tam ſæpe fecit mentionem, vt non dubitem, quin ſit veſtri amantiſſimus. Elector Palatinus profectus eſt ad thermas, quæ non procul abſunt a Confluente Rheni & Moſellæ, ſub initium ſuperioris menſis, in quibus adhuc hæret. Interea deuaſtantur eccleſiæ in Palatinatu, pelluntur in exilium boni viri, & ante diſceſſum promittunt ſe ſiſtere in iudicio, ſi quis intra annum eos accuſare volet; quod iuſſi faciunt. Schola Heidelbergenſis eam calamitatem nondum ſenſit, quod credo ideo fieri, quod Princeps deſtituatur viris, quos poſſit in aliorum locum ſufficere. Bonus Ehemius obſtrictus eſt in ſuis ædibus. Dux Caſimirus hæc omnia ſpectat magis patienter quam vellem. Noſtris in Gallia omnia infeliciter ſuccedunt. Oppidum, quod Charitatem nominant, non eſt defenſum ea conſtantia, qua ſperabamus defendendum. deditum eſt Alençonio Calendis Maji. Sub idem tempus Dux de Maine Guiſii frater eripuit noſtris aliquot oppida in Pictonibus & Santonibus, ita vt Rupellenſibus ſua vrbe excedere vix liceat. Facit interea ipſis Rex ſpem pacis, ne externa auxilia quærant. Res denuo videntur

dentur ad bellum ſpectare in inferiore Germania. Joannes ab Auſtria petiit ab Hollandis & Zelandis, vt in quolibet oppidorum, quæ obtinent, concedant templum vnum pontificiis: quod promiſerunt ſe facturos, modo ipſe idem præſtet iis, qui ſecum in religione ſentiunt in prouinciis illis, in quas habet imperium. quod reſponſum quam fuerit ei gratum ipſe coniicere potes. Regina Angliæ conſcribit militem. Vulgo dicitur eam conſtituiſſe oppugnare Caletum, quod non credo. Exiſtimo pacem Belgicam & ſucceſſus Regis Galliæ eſſe ipſi ſuſpectos; nec credo ei gratum eſſe habere tam vicinum Joannem ab Auſtria, qui ante aliquot annos nuptias Reginæ Scotiæ ambiuit: quod ſi verum eſt Regem Hiſpaniæ impetraſſe a Turcis quinquennales inducias, habet ipſa quod ſibi metuat. Noſtri Berengarii, vt loquitur Eſromus, migrant in VVeſtvvaldiam. Pezelius iam profectus eſt Zigenam. VVidebramus autem, qui adhuc hic eſt, ſperat ſe breui profecturum in oppidum Naſſauicum, quo eſt vocatus. Putant etiam vocandos ab eodem ipſo comite Joanne Naſſauio Crucigerum & Freihubium, a quibus conſul Hallenſis petiit, vt ſibi aliud hoſpitium quærerent. Ita tandem Aſtræa in horridos illos montes migrabit. nam audio Joannem Naſſauium fratrem Orangii cogitare de inſtituenda Zigenæ ſchola, in quam impen-

dat

dat annua ſex millia aureorum. Quando voles ad me ſcribere, mittes huc litteras ad VVechelum. Excutio iam veternum contractum in aula Cæſarea, & vagor hinc inde. Rogo, vt per occaſionem ad amicos mittas litteras quas huic faſciculo inſerui. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, XVII die Julii MDLXXVII.

XXXI.

SPerabam cum ex aula Cæſarea diſceſſi, me id ſaltem conſecuturum, vt mihi poſthac tranquilliorem vitam agere liceret; ſed me plurimum fefellit mea opinio. nam nec mihi hic quieſcere licuit ob nimis crebras quorundam interpellationes, & hinc ſæpius in vicinas aulas fui euocatus, vbi intempeſtiuis conuiuiis meam valetudinem ita afflixi, vt toto fere hoc autumno mihi perpetuum quaſi bellum fuerit cum catarrhis: qui licet me vehementer cruciarent, mihi tamen grauius erat, quod vix permittebant, vt aliquid legerem vel ſcriberem. Itaque cum audirem de morte præſtantiſſimæ tuæ coniugis, dolui quidem vehementer, vt decuit me facere in tanta iactura hominis mihi cariſſimi, ſed id etiam dolorem meum auxit, quod eum litteris teſtari non potuerim. Quamuis ſciam tibi obtemperandum fuiſſe naturæ imperio, quæ iubet nos dolere in morte eorum qui nobis ſunt cari; iam autem mors id tibi ademerit, quo nihil habuiſti carius; ſpero ta-

tamen tuam prudentiam id a te impetraſſe, quod ipſum tempus alias impetraturum erat. nimirum vt dolori & luctui tuo iam modus aliquis ſit impoſitus. Cum ipſa quidem bene eſt actum, cum ex hac infelici vita ad beatam illam a Deo ſit euocata, ac præſentibus & impendentibus calamitatibus ſit erepta; ſed non eodem modo actum eſt cum iis, quorum teneræ ætati vita eius erat neceſſaria, nec etiam tecum, cui labor educationis liberorum, qui inter vos erat diuiſus, iam totus incumbit. Sed tamen acquieſcendum eſt voluntati Dei, quem ſpero tibi ſuppeditaturum robur, quod ſufficiat ſuſtinendis laboribus & curis, quæ te poſthac exercebunt. Quid memorabile nobis attulerint hæ nundinæ ſcribere non poſſum. nudius tertius enim primum reuerſus ſum ex thermis Empſenſibus, quo me vocauerat illuſtriſſimus Dux Joannes Caſimirus, qui eo ad Landgrauium acceſſerat. Quæ de Gallia habemus ſunt incertiſſima. Plurimi hic metuerunt ne Guiſius irrumperet in ditionem Ducis Caſimiri; quam ſuſpicionem auxerunt ſtipendiarii a Rege Galliæ, qui in Metenſi vrbe conuenerant. Ego ſane id fruſtra metui exiſtimo: res enim Regis Galliæ non ſunt eo loco, vt ei Germaniam bello laceſſere expediat. Sunt qui ſcribant, pacem factam eſſe inter ipſum Regem Galliæ & Nauarrenum, ſed ea pace nec Condæum nec Occitanos

com-

comprehendi. Si Nauarrenus tam eſt imprudens, vt nolit ſua conſilia coniungere cum iis, qui eandem religionem profitentur quam ipſe, iſtius ſui conſilii haud dubie pœnas dabit. Verum ego ſuſpicor hanc famam diſſipari, vt retundatur alacritas eorum, qui putantur noſtris in Gallia periclitantibus velle ferre ſuppetias. Res Belgicæ plane ſunt perturbatæ. Joannes ab Auſtria non magnam gloriam refert ex ea prouincia, niſi res ſuas aliter conſtituat, quam hactenus fecerit. Habet grauem aduerſarium Orangium: quem cum in ſuum Senatum admiſerunt Ordines ſeu Status, vt vulgo fertur, videntur mihi ſuas res valde confirmaſſe. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, XXII die Septembris M D LXXVII.

XXXII.

NEſcio an dicam veſtræ vrbis celebritatem, an vero tuam humanitatem eſſe in cauſſa, vt amici in procurandis litteris, quas ad te mittunt, tibi tantum faceſſant negotii; vt taceam impenſas, quas te in eam rem neceſſe eſt plerumque facere. Careres quidem illa moleſtia, ſi in loco obſcuro viueres. quanquam & iſtic idem tibi contingere potuiſſet, niſi amicorum iudicium promtis & aſſiduis tuis officiis ita corrupiſſes, vt iam pene perſuaſi ſint, ſibi licere tua facilitate abuti. Ego pro-

profecto doleo, me in ea re tam ſæpe *tib*
moleſtum, & ſi poſſem inire aliam rati
ſatisfaciendi amicorum cupiditati, ego
benter facerem. Litteras tuas ad *Zvri*
rum miſi Doctori Eraſto: hinc enim B
am nulli eunt tabellarii, & pauci admo
Argentoratum. Heri accepi a te alium f
culum, cui incluſæ erant litteræ Crat
Cluſii, & Jordani. Hoc ſaltem a te peto
annotes id quod mea cauſſa in tabell
impendes, quo poſſim illud tibi poſtea
dere. Hic ſoleo ſatisfacere tabellariis pro
teris quas mitto & accipio. Mihi ſæpe a
te excuſanda eſt mea negligentia in ſcrib
do: quamuis ſane habeam excuſationem
gis legitimam, quam vellem. Nam me
Octobri correptus ſum eo morbo, quo la
raui ante ſex annos, & cujus veſtigia in fa
circumfero, nec ſum adhuc plane reſtitu
meæ valetudini. Cum autem hoc anno lo
ge ſæpius tentatus ſim morbis, quam ant
imo raro recte valuerim, iudico iam inſt
tempus illud, quod me ex iis moleſtiis lib
rabit. Fiat voluntas Domini: cui ut libe
paream dudum me comparaui. Ex Gall
nihil prorſus litterarum accipimus. Pace
quidem ibi factam eſſe omnes affirmant, ſe
eiusmodi, vt neutra pars alteri fidem habea
Res Belgicæ ſunt incertiſſimæ. Archidux Ma
thias diu hæſit Lieræ. Eſt oppidum non an
plun

Digitized by Google

plum, quod abeſt ab Antuerpia tribus milliaribus, & totidem a Mechlinia. Aiunt eum iam profectum eſſe Antuerpiam, & Orangium ceſſiſſe ei cœnobium Di..i Michaelis, in quod diuerterat. Dicunt decreto Ordinum Belgicorum conceſſam eſſe ei adminiſtrationem Belgicarum prouinciarum, quæ Regi Hiſpaniæ parent. Si hæc inuitis Hiſpanis fiunt, miror quorſum ſint euaſura. Vidi ſcriptum editum typis Gandaui, quod continet, ipſum Matthiam vocatum eſſe ab ea tantum factione, cuius duces traditi ſunt cuſtodiæ, qui habuerunt in animo eo abuti ad committendos Flandros cum Brabantis. Ii, qui Ordines nominantur, videntur inter ſe certare ambitione & ſtultitia, ac eſſe plane inopes conſilii. Orangii quidem auctoritas indies augetur, ſed vereor ne fabula de Matthia inſtructa ſit ad eam labefactandam. Si Antuerpia adiunxerit ſe Hollandis & Zelandis, quod puto facturam, faceſſet Orangius ſatis negotii Hiſpanis, nec poſſeſſione imperii maris facile depelli poterit. Ego diligenter egi cum VVechelo, vt ederet commentarios clariſſimi tui parentis in Ethica Ariſtotelis, ſed parum profeci. Non ſunt ei facultates, quæ antea fuerunt, & dicit eiusmodi ſcripta iam eſſe minus vendibilia, eo quod Galli & Belgæ nulla emant. Saluta amicos, & præſertim Dominum fratrem, & Dominum Doctorem

Chri-

Chriſtophorum. Bene vale. Francofurti, quinta die Decembris MDLXXVII.

XXXIII.

IGnoſce obſecro, quod tibi iterum negotium faceſſam in curandis meis litteris. Libenter quieſcerem, ſed non patiuntur amici Viennenſes: de mea enim negligentia perpetuo conqueruntur & litteras flagitant. Satisfeci huic tabellario pro ipſius arbitrio; ita vt promiſerit ſe nihil præterea petiturum. Joannes Aubri VVecheli gener perſoluet mercedem ei, qui faſciculum Viennam perferet, & in meas rationes referet: nam id ego ei hinc diſcedenti mandaui. Quæ de noſtro Cratone ſcribis, affecerunt me magno dolore. Cuperem eum poſſe educare filium, qui mihi videtur natura proteruior, ac etiam parentum indulgentia corruptus, ita vt exiſtimem eum non facile fore cuiquam obſequentem, ſi patrem amiſerit. Cluſius ad me ſcripſerat, eum reuocari in aulam, quod ego ei gratulabar. Scio eum non libenter eſſe VVratislauiæ, quia a plurimis non tanti fit, quanti cuperet. Si in aulam redierit, forte non experietur eam indulgentiam procerum erga ſe, quam viuo Imperatore Maximiliano eſt expertus; nec poterit eſſe valde carus huic Imperatori, ob religionem quam profitetur. In inferiori Germania ducitur bellum potius, quam geritur

Joannes

Joannes ab Auſtria habet exercitum conflatum ex variis gentibus, qui eſt ſatis validus, cum plerique eius milites ſint veterani. Diſſipata eſt fama, plures milites ad eum ex Italia mitti, eumque conſcribere equitem Germanicum & peditem Heluericum, item maximam vim auri recens aduectam eſſe ex nouo orbe, & Italiam ac Hiſpaniam ingentem vim pecuniæ conferre ad Belgicum iſtud bellum: Turcas autem indixiſſe bellum Perſis, ipſumque Imperatorem Turcicum parare ſe ad eam expeditionem, ita vt Hiſpanis & Italis nihil ſit inde metuendum. Ego ſuſpicor hæc fingi ad incutiendum terrorem Belgis, quo ad petendam pacem adigantur, quam non dubito quin Hiſpani expetant. Non poſſum ſatis mirari vnde tam ſubito tanta vis pecuniæ emerſerit, cum conſtet Regem Hiſpaniæ ante annum fuiſſe egentiſſimum. Ego non dubito, quin ſit futurum facilius Joanni Auſtriaco colligere militem, quam pecuniam, qua eum alat. Sed hæc triſtia omittamus. Facta eſt transactio inter Electorem Palatinum & Ducem Joannem Caſimirum eius fratrem, de controuerſiis, quæ ex teſtamento paterno inter eos ortæ fuerant, & Doctor Ehemius eſt reſtitutus ſuæ libertati. Hæc transactio plurimis non erit grata, qui magno ſtudio diſſidium illud inter fratres alebant. Dudum ſcio factam eſſe pacem inter Polonos & Dantiſcanos,

nos: ſed conditiones pacis non vidi. Si eas ad me miſeris, facies mihi rem gratiſſimam. Gaudeo quod conſtitueris huc ad proximum mercatum excurrere: ſed vide ne patiaris te ab ea ſententia abduci. Saluta obſecro amicos, & præcipue clariſſimos dominos, Doctorem Chriſtophorum & tuum fratrem. Bene vale. Francofurti, tertia die Februarii MD LXXIIX.

XXXIV.

DOleo te tantum laboris ſumſiſſe in deſcribenda pace Dantiſcana, pro qua tibi maximas gratias ago. Ego iudico hac pace non male conſultum eſſe Dantiſcanis, cum veterem libertatem integram retineant, & melius ipſis caueatur de religione, quam antea cautum fuerit; nam ipſorum culpa conflatum eſſe bellum videtur. Scio plerosque primarios ciues abhorruiſſe ab eo bello, ſed euerſa fuiſſe eorum conſilia quorundam factioſorum hominum criminationibus ad imperitum vulgus: nec ſane liber, quem ediderunt, vt conflati belli culpam a ſe amolirentur, videtur mihi eos ſatis excuſare. Sunt, qui putent Auſtriacæ aulæ artibus excitatum eſſe bellum iſtud. Quam prudenter fecerint Auſtriaci viderint ipſi; ſed non deerunt, qui ipſorum conſilium ſint improbaturi. Licuit forte i Maximiliano Imperatori, ne æmulus ei

res ſuas ſtabiliret, ſed eo mortuo longe alia fuit ratio. Auſtriacos meminiſſe decebat, totam Germaniam Orientalem ex Polonia maxima commoda percipere, & Polonos a multis annis pacem & amicitiam cum Germanis conſtanter coluiſſe; nam bellis, quæ in Pruſſia geſta ſunt, Prutenici equites præbuerunt cauſſam ſua arrogantia, nec ea ad totum imperium pertinuerunt. Omnes affirmant, Regem Poloniæ in eo bello tale ſpecimen ſuæ prudentiæ ac moderationis animi ſæpius ediſſe, vt iam ſit Polonis longe carior, quam antea fuerit: nomen autem eius aiunt in Hungaria celebrius fieri, quam conducat rebus Auſtriacorum, quibus iam videtur eſſe præciſa omnis ſpes impoſterum adipiſcendi regnum Polonicum, ob odium quod ipſis apud Polonos hoc bellum Dantiſcanu m conflauit. Non facile diſceſſiſſent Poloni a Dantiſcanorum oppugnatione, niſi metus Moſchi imminentis Lithuaniæ eos alio ſua arma conuertere coegiſſet. Miror quiſnam ille ſit, qui tibi de Regina Angliæ dixit ea, quæ ſcribis. Crede mihi, quicunque ille ſit, eum grauiter errare. Mirum eſt iſtos de illis male conſutis ſuis ineptiis tam magnifice ſentire, quas (vt audio) ipſi etiam Dano fruſtra conati ſunt obtrudere. Ne ſibi perſuadeant Anglos eſſe abiecto animo: potius peccant in alteram partem. Non potui non dolere in morte præſtantiſſimi viri

viri Domini Chriſtophori Carolouicii, quem propter eximias eius virtutes & maximarum rerum cognitionem ſummopere ſum admiratus & colui, quamuis ſane mors ex maximis miſeriis eum liberauerit. Miratus ſum ſæpe, hominem tanto ingenio, & qui maximas res adminiſtraſſet interea dum Carolo Imperatori & Duci Mauritio inſeruiuit, nihil labis in illis aulis contraxiſſe: nam is candor animi in ipſo vsque ad mortem permanſit, qui in paucissimis reperitur. dignus ſane, qui in tempora incidiſſet, in quibus plus tribueretur virtuti. Nam cum in aulis bonis tantum artibus certaret, & moderata conſilia ſuggereret, habuit perpetuo aduerſarios eos, qui gratiam & potentiam aliis artibus ſibi comparauerant a quibus eſt ipſi ſpecie amicitiæ ſæpius illuſum. Videbant ſuis rebus nequaquam conducere, vt eius virtutes cum ipſorum vitii conferrentur; & propterea ſemper id egerunt, vt Principum, quibus inſeruiebat, animos ab ipſo alienarent, & ipſius exiſtimatio nem imminuerent. Res Belgicæ ſunt pe turbatiſſimæ. Belgæ eleuant cladem, qua Hiſpani ad Namurcum ipſis nuper intulerun nam dicunt, non plures ſexcentis ex ſuis c cidiſſe. Sit ſane ita: non bene ſuam ignom niam ea ratione tegunt imo cæſorum pa citas eſt indicium ipſorum ignauiæ, cu conſtet ipſorum copias fuiſſe profligat

Joan

Jo[illegible]nes Auſtriacus occupauit Louanium, Tilemontium, Bouillas ad Moſam, & quædam alia ignobilia oppidula. Sperauit, ſe quorundam proditione occupaturum Mechliniam; ſed oppreſſi ſunt qui cum eo conſpirauerant, & in vincula coniecti. Sunt qui dicant eum iam habere copias ad Bruxellas. Qui veniunt ex Belgio dicunt ipſos Ordines ſeu Status omnem belli adminiſtrationem permiſiſſe arbitrio Principis Auriaci; quod ſi verum eſt, ego exiſtimo eos ſuis rebus bene conſuluiſſe. Credo quod conſcribant militem Germanicum. Amſtelrodamenſes tandem ſe dediderunt Principi Auriaco,& eius militem in ſuam vrbem admiſerunt. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, XXVI Febr. MDLXXIIX.

XXXV.

Cum VVechelo egi, vt quandoquidem iudicabat non eſſe ex re ſua ſcriptum clariſſimi tui parentis excudere, illud tibi remitteret. Reſpondit, ſe nihil magis cupere, quam tibi & mihi in ea re gratificari, & petiit,vt adhuc quindecim dies ipſi concederemus ad deliberandum: ſe enim obſecuturum nobis, ſi videat ſuas rationes id vllo modo ferre poſſe. Si non poſſit præſtare quod cupimus, librum ſtatim remittet. Putaui id ei eſſe concedendum: nam typographiæ hic feriantur totis quindecim diebus poſt mercatum. Typogra-

Digitized by Google

phi interea deliberant, quid ferre recuſent, quid valeant humeri, & operas conducunt. Hoc meum factum peto ne ægre feras. Omnia hic perſtrepunt rumoribus de rebus Belgicis. Hiſpani diripuerunt pene totam Brabantiam, & plurima oppida occupauerunt, ſed quæ nec ſunt ampla, nec munita, nec opulenta, ſi Louanium excipiamus. Sperarunt ſe potituros Traiecto Moſæ proditione quorundam ciuium, monachorum & ſacerdotum; ſed cum ad vrbem acceſſiſſent, & audiuiſſent coniectos eſſe in vincula per quos ſe in vrbem admittendos ſperauerant, inde diſceſſerunt, exuſtis aliquot pagis. Poſt eorum diſceſſum Senatus Traiectenſis ſua vrbe expulit monachos & ſacerdotes, quos fauere partibus Hiſpanorum exiſtimauit. Epiſcopi & Abbates aliquot, etiam ex eorum numero qui fuerunt in ſenatu Statuum Generalium, transfugerunt ad Hiſpanos. Inde coniicere licet eos ſimulaſſe tantum ſe aduerſari Hiſpanis, vt perplexis conſiliis inuoluerent res Statuum, & eorum arcana Hiſpanis proderent. Sed hæc transfugia Auriaci auctoritatem maxime confirmant. Gandauenſes iam ad vetus ſuum ingenium redierunt, & vi cogunt ſuos vicinos facere officium. Nuper armati profecti ſunt Aldenardam & Cortracum, & mouerunt Senatu omnes eos, quos addictiores eſſe Hiſpanis ſuſpicabantur, & alios ſuæ factionis in eorum
locum

locum ſurrogarunt, & præſidium militare vtrique vrbi impoſuerunt. Noctu Brugas admiſſi conſpiratione quorundam ciuium, Senatum vrbis mutauerunt. Coegerunt Iprenſes qui videbantur inclinare ad Hiſpanos, ſecum fœdus inire, minati ſe ipſorum agros deuaſtaturos. Conſcribitur ab Hiſpanis & Statibus miles Germanicus. Ericus Brunſuicenſis ducit ad Hiſpanos tria millia equitum. Quidam Chriſtophorus Baro a Tautenburg iam duxit ad Status mille & quingentos. Dicuntur eum ſubſecuturi equites conſcripti a Gunthero Schvvarzburgio. Status agunt cum Duce Joanne Caſimiro de conſcribendo equite Germanico & pedite Heluetico, ſed nihil eſt adhuc ea de re conſtitutum. Is, qui tibi litteras meas reddet, eſt filius Cancellarii Angliæ, vixit aliquandiu cum domino Beza; eſt bonus iuuenis & pius. Ego tibi eum commendo, & peto vt ei cures dari litteras ad ciuem aliquem Ratisbonenſem, cuius opera conducere poſſit nauim, qua Viennam vehatur. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, XXIX die Martii MDLXXIIX.

XXXVI.

TAndem perſuaſimus VVechelo, vt clariſſimi tui parentis commentarios ſuis typis exprimeret, vt videbis ex pagellis, quas iam ad te mittit. Audio Smalkaldiam indictum

eſſe conuentum ad ſeptimum diem Iunii, in quo deliberabitur de libro Iacobi Andreæ. Eo vocabuntur, vt aiunt, vtriusque partis Theologi, hoc eſt, ii qui librum approbant & improbant. Locus videtur aliquid habere ominoſum. Landgrauius egit Langſalſæ longe remiſſius quam ſperaueramus: quare quantum ſit ei in hac re fidendum non video. Si poſſit perfici, ne Palatinus Elector librum approbet, ſperarem fore irritos aliorum conatus; quod ſi eum approbauerit, veror ne id perficiant, quod moliuntur. Veſtræ reipublicæ plurimum intereſt, ne fiat. Audio Iacobum Andream dicere, ſe nusquam magis contemtim habitum eſſe quam apud vos: quare ſi res ex animi ſententia ipſi ſucceſſerint, dabit operam, vt vobis referatur gratia digna veſtris erga ipſum meritis. Aduerſarii noſtri nihil non mouent, quo poſſint nos opprimere; nos vero ne quidem de defenſione videmur cogitare, ſed tantum otioſi rei euentum exſpectare, vt nos aduerſariis pro ipſorum arbitrio cædendos præbeamus, ſi id perfecerint, quod iam agunt. Quam turpe eſt, quod noſtri ne quidem conſilia inter ſe conferunt. Quilibet ſibi perſuadet, ſe minus peccaſſe quam ſocium & propterea ſe mitius plectendum, ſi nihil habeat cum eo commune. Mitto ad te litteras generoſi Domini Sydnæi. Eas ex Anglia attulit Doctor Beuterri-

terrichius, qui diu ſubſtitit in Belgio, nec eas ad me miſit antequam in has regiones ſit reuerſus. Jam imminent Belgis, ſi non exitium, ſaltem ſummæ calamitates: quæ enim hactenus perpeſſi ſunt, quamuis fuerint grauiſſima, iudicabunt fuiſſe ludum præ iis, quæ neceſſe eſt vt poſtea patiantur. Conſcribuntur ipſis ad duodecim millia equitum in Germania, quibus adiungetur peditatus Helueticus ac etiam Gallicus. Joannes Auſtriacus dicitur conſcribere non multo pauciores equites. Quid fiet vbi tantus numerus hominum raptu viuentium venerit in eas regiones, quæ ſunt anguſtæ, magna ex parte iam deuaſtatæ, & pecunia plane exhauſtæ? Et cum habeant inimicos potentiſſimos principes orbis Chriſtiani, nemo eſt, a quo quidquam auxilii ſperare poſſint, præterquam ab Anglis: nec tamen inde ſperanda ſunt magna auxilia ob imperium illorum, qui omnia timide & frigide agunt. Ego oro Deum omnipotentem, vt ipſis adſit, & calamitates, quæ imminere videntur, auertat ab ipſis. Bene vale, & ſaluta clariſſimos viros fratrem tuum & dominum Doctorem Chriſtophorum. Francofurti, XXVI die Aprilis M D LXXIIX.

XXXVII.

GAudeo tandem VVechelum potuiſſe perſuaderi, vt clariſſimi tui parentis commentarios excuderet. Sunt enim, vt reliqua

 eius

eius ſcripta omnia, admirandæ eius eruditionis teſtes locupletiſſimi. Cuperet ſcire VVechelus, an pergas in verſione ſcripti Ludouici Guicciardini, quod continet inferioris Germaniæ deſcriptionem, cuius credo te aliquando apud ipſum feciſſe mentionem. Accepi binas tuas litteras, vt & Cratonis, & Cluſii. Noſtrum architypographum huc reuerſum exceperunt turbæ ingratæ: reperit enim cuſtodiæ traditum quendam Baſſæum, ob editum typis neſcio quod ſcriptum, quod dicit ſe ad eius petitionem edidiſſe. Noſter tamen liber per vrbem obambulat & conuiuatur, interea dum ille alter in carcere gemit. *Dat veniam coruis* &c. Sum denuo tibi moleſtus multitudine litterarum quæ ad amicos mittantur. Quæ Monauio ſunt inſcriptæ, continent litteras generoſi Domini Baronis Fabiani a Dona, qui iam receptus eſt in familiam illuſtriſſimi Principis Joannis Caſimiri Palatini, cui ob ſingulares virtutes eſt carus. Jam miſit eum ad Landgrauium Guilhelmum, vt cum eo agat de rebus quæ non ſunt parui momenti. Inter reliqua Princeps Caſimirus admonet Landgrauium, ne deſerat oppugnationem ſcripti Jacob. Andreani, & ſuſceptum patrocinium veritatis. Credo te vidiſſe ſcriptum Irenæi aduerſus librum Concordiæ & epiſtolam Heshuſii ad Julium Brunſuicenſem eiusdem argumenti. Landgrauiu[m]
miſi

miſit eam epiſtolam a Duce Julio ad ſe miſſam, ad illuſtriſſimum Saxoniæ Electorem; qui reſcripſit, ſe vix credere poſſe eam eſſe ab Heshuſio ſcriptam: cum in libro ſubſcribens dixerit, ſe non tantum manu, ſed etiam ore & corde illud approbare. Ita illuditur principibus ab iſtis vertumnis, quando doloſi ſpes refulget nummi. Si voles ad generoſum Dominum Sydnæum ſcribere, mitte ad me litteras, ego eas diligenter curabo. Puto venturum in Belgium intra menſem Julium in auxilium Archiducis Matthiæ & Ordinum, ſupra quinque & viginti millia Germanorum, Gallorum, Anglorum & Scotorum. Forte Joannes Auſtriacus habebit non minores numero Hiſpanos, Italos, Germanos & Gallos: nam eius copiæ conſtant externo milite. Quid putas fore in illis regionibus tutum ab iniuriis iſtius colluuiei tot variarum gentium? Meditantur Vormatiæ neſcio quam pacem, quæ vix habebit ſucceſſum. Vbi conuenerint exercitus, iniicietur mentio pacis, quæ erit in cauſſa, vt nihil geratur: interea autem exhaurientur Ordines ſumtibus, & ipſi agri deuaſtabuntur. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, die IIX. Maji MDLXXIIX.

XXXIIX.

JAm mihi ob quædam negotia abeundum eſt Coloniam, vbi ſum aliquandiu commoraturus.

turus. Si ad me ſcribere voles, mitte tuas litteras Doctori Birchmanno vel Calandrino. Videbo vbi eo peruenero, quænam ſit commodiſſima ratio mittendi ad vos litteras. VVechelus adeo vſus eſt minutioribus characteribus in edendis commentariis clariſſimi tui parentis, vt poſſet eos abſoluere ante proximum mercatum. ſi enim ad alterum differretur editio, id fieret cum ejus diſpendio. Recte facies, ſi Guicciardini verſionem abſolueris; expetitur enim a plurimis. intelliget ex eius ſcripto poſteritas, ex quanta felicitate prouinciæ illæ præcipitatæ ſint in ſummas calamitates principum ſuorum ſtultitia. Hodie hic mecum fuerunt M. Mœnius & M. Conradus Bergenſis, qui ſibi VVittembergæ voluntarium exilium indixerunt, aut ſaltem dimiſſionem petierunt, ob imminentem tempeſtatem. jam proficiſcuntur Argentoratum ſalutaturi vos in reditu. Quid tandem fiet? Miles Ducis Joannis Caſimiri recenſebitur ad Zutphaniam ſub finem hujus menſis. Ante octo dies eo præmiſſi ſunt, Dominus Fabianus a Dona, Zulegerus, & quidam Oſvvaldus Miſnenſis, vt militem venientem excipiant. Paucis interiectis diebus ſubſecutus eſt ipſe Dux Caſimirus, apud quem valet gratia Dominus Baro a Dona, qui in hoc bello habiturus eſt optimum ſtipendium. Auſtriacus obſidet Limburgum, quod non procul abeſt a Leodio.

Digitized by Google

odio. Cauſſa religionis iam incipit vehementer moueri in Belgio. Gandaui habentur publicæ conciones tribus in locis. Petunt eandem libertatem a Statibus Antuerpienſes & plures alii; videnturque ſumturi, etiamſi non concedatur, & præſertim vbi Caſimiri copiæ peruenerint in Brabantiam. Hæc res euertet conſilia Auſtriacorum, & tandem cogetur aperire ſua oracula Archidux Matthias, quem aiunt iam migraſſe ex Michaelis cœnobio, quod ſplendide ædificatum eſt, in longe tenuiores ædes quas Jeſuitæ antea incoluerunt, quæ ſunt ſitæ in media vrbe. Putant eum metuere, ne quid turbarum in vrbe oriatur. Qui in gratiam Hiſpanorum conantur ſeiungere Ordines ſeu Status ab Auriaco Principe, ii videntur plurimum ipſis Hiſpanis obeſſe. nam ſuis perplexis conſiliis ita omnia inuoluerunt, vt iam explicari non facile poſſint. Quod ſi etiam perficerent quod volunt, neſcio quantum vtilitatis eſſent ipſis allaturi. nam non dubito, quin quidquid decernant Status, præcipuæ vrbes ſint Auriaco adhæſuræ. Bene vale & amicos ſaluta. Francofurti, XXII die Junii MDLXXIIX.

XXXIX.

TAndem huc veni, vt ex loco magis propinquo eſſem ſpectator tragœdiæ, quæ agitur in Belgio, cuius metuo ne valde triſtis ſit

Digitized by Google

cataſtrophe. Illuſtriſſimus Princeps Joannes Caſimirus hac fecit iter XIX die ſuperioris menſis. Ducebat ſecum ad mille & ducentos milites Gallos, quos nauibus impoſuerat non procul a Confluentia, quorum dux erat Bonnecurtius. Poſtridie ſubſecutus eſt Dominus de Lanti, qui totidem fere ducebat, quos nauibus impoſuerat prope Argentoratum. Credo omnes copias ipſius Ducis Caſimiri iam conueniſſe ad Zutphaniam, ibique recenſeri. Inde ipſis eundum erit Bruxellas, vbi copiæ Statuum conueniunt. Auſtriacus autem cogit ſuas ad oppidum Brabantiæ Dieſt, quod cum ſit inter Bruxellas & locum, in quo Caſimiriani traiicient Rhenum & Moſam, ego metuo, ne eos inuadat, antequam cum reliquis Statuum copiis coniungantur. Ii, qui ſunt noſtræ religionis, petierunt a regio Senatu, cuius princeps eſt Archidux Matthias, vt ſibi permitteretur ſuæ religionis publicum miniſterium inſtituere, a quo reiecti ſunt ad ſenatum Statuum. Audio Eccleſiaſticos, qui ſunt in ſenatu Statuum, hortari ſuas collegas, vt noſtris concedant eam libertatem, quam petant; ſed eam certis finibus circumſcribant, hoc eſt, dent operam, ne quid eccleſiaſticorum culinæ decedat. Auſtriaca vero factio id impedit quantum in ſe eſt, ita vt multi iam exiſtiment ideo præcipue in eas regiones veniſſe Archiducem Matthiam, vt purioris religionis

gionis progreſſum impediat. Noſtri interea non expectata conceſſione, vbique fere in Flandria & in pluribus locis Brabantiæ id ſibi ſumunt quod petierunt; in qua re præbent ſe ſigniferos Gandauenſes. Antuerpiæ quamuis habeantur conciones in priuatis ædibus, posſunt tamen dici publicæ, cum interdum mille & quingenti vnum in locum conueniant, etiamſi pluribus in locis vno & eodem tempore habeantur conciones Flandrica & Gallica lingua. Quidam ex Senatu Antuerpienſi & tribuum Decani, vt eos nominant, nuper de ea re conqueſti apud Auriacum petierunt vt noſtros compeſceret; reſpondit, ne Albanum quidem id potuiſſe facere, cum eius res maxime florerent. Noſter generoſus Dominus Sydnæus eſt factus Vice-Amiralius regni Angliæ. Saluta amicos. Coloniæ, X die Julii MDLXXIIX.

XL.

REdditæ ſunt mihi litteræ tuæ Antuerpiæ, in quibus ſcripſiſti Doctorem Peucerum liberalius haberi quam antea: quæ res mihi magnam voluptatem attulit. Quibus fatis iactatus fuerim per hiemem proximam longum eſſet ſcribere. Sub eius initium euocatus ſum Colonia Gandauum ad rixas & contentiones, quæ mihi morbum pepererunt; quo ita laborans, vt ne quidem pedem cubi-

Digitized by Google

culo efferrem, auſus ſum ſequi illuſtriſſimum Principem Caſimirum diſcedentem Gandauo decima quinta die Januarii & in Angliam proficiſcentem. Verum Deus conuertit meam temeritatem in meam ſalutem: nam in itinenere ſtatim cœpi melius habere, & ipſum mare liberauit me a morbo; potuiſſemque uires recuperare, niſi Angli nimia ſua erga me humanitate mihi quietem ademiſſent, nec paſſi fuiſſent, me abeſſe a ſplendidis illis conuiuiis, quibus perpetuo fuimus excepti. Quid aliud ſcribam, quam me ibi plures amicos reperiſſe, qui me pene ſuis officiis obruerunt, quam putaram me habere in toto orbe. Reuerſus ſum ex Anglia in Zelandiam cum illuſtriſſimo Caſimiro: vbi & properanti domum valedixi, & Antuerpiam nauigaui, & inde difficili itinere veni Coloniam; vbi denuo incidi in morbum, in locum affectum genæ dextræ diffluentibus humoribus corruptis, qui ita computruerunt, vt poſt nouem aut decem dies facta ſuppuratione, liberatus ſim grauisſimis doloribus, quibus excruciabar. Nondum plane reſtitutus valetudini, commiſi me itiniri; nam neceſſario mihi huc veniendum erat ante finem mercatus, nec male ſucceſſit iter. Hinc proficiſcor Argentoratum, inde iturus ad thermas Badenſes, vt me ibi aliquo dierum quiete recreem. Publicis de rebus quæ hic habemus, narrabit tibi dominus Da

ni

niel Molinæus,iuuenis de me optime meritus, quem ego propter ingenii præſtantiam amo, eumque ſimul cum ipſius fratre domino Andrea tibi commendo, & peto vt eis ad virorum bonorum notitiam, & præſertim tui fratris & domini Herdeſiani viam aperias. Claudius de Marne mihi dixit, ſe iſtic repetere in iudicio pecuniam ſibi debitam a Joachimo Oxefeldio. Peto, vt eum meo nomine commendes tuo fratri & domino Doctori Herdeſiano. nam ſi res ita ſe habet, vt mihi eam narrauit, fit ei ab altero magna iniuria. Bene vale, & ignoſce meæ feſtinationi: nam hæc ſcribo occupatiſſimus, pluribus me interpellantibus. Saluta amicos. Francofurti, XXII die Aprilis MDLXXIX.

LECTORI BENEVOLO

LVDOVICVS CAMERARIVS.

CVm in epiſtolis Langueti ad Camerarium Filium honorifica mentio facta ſit illuſtriſſimi Baronis FABIANI Burggrauii a DONA beatæ memoriæ, & penes nos eſſent pauca quædam ad illum Heroem Langueti epiſtolæ, vna etiam illius cauſſa ſcripta ad eximium quendam virum ex Poloniæ proceribus; viſum nobis eſt, has quoque ſubiicere, vt ſatisfaceremus viris doctis, qui illas dignas cenſuerunt editione publica: quod nulli bono diſpliciturum confidimus. Vtere, & vale.

HVBERTI LANGVETI
EPISTOLÆ
ad
BARONEM FABIANVM
Burggrauium a DHONA.

I.

PRiores tuas litteras accepi ante aliquot dies, ad quas reſpondiſſem, niſi Cleinfeldius noſter mihi dixiſſet, ſe certo ſcire, te hac iter facturum. Alteras mihi heri reddidit ſecretarius legati Pontificis, ad quem neſcio quo fato peruenerint. Cleinfeldius fuit in cauſſa, ne litteras ad Berzeuicium noſtro Monauio citius miſerim: quamuis ſane ego non caream culpa, qui ei potius, quam tibi de tuo itinere crediderim. Spero Berzeuicio gratum fore, habere occaſionem contrahendæ tecum amicitiæ, niſi forte honores & dignitates, quibus eſt auctus, veterum amicorum memoriam ex animo ejus deleuerunt; quod tamen non ſpero. Gaudeo tibi contingere eam occaſionem adeundi aulam Polonicam, de qua ſcribis. Nuſquam potes vtilius inſeruire tuæ patriæ, cum ea ſit pars reipublicæ Polonicæ; &, vt libere dicam quod

quod ſentio, ſi huic aulæ operam tuam condixiſſes in iis ſimultatibus, quæ ſunt inter noſtros & Polonos, id potuiſſet eſſe fraudi tuis fratribus, & aliis tibi neceſſitudine junctis; & præſertim ſi cum Polonis, qui hic ſunt, familiarius fuiſſes conuerſatus, quod fere neceſſario te facere oportuiſſet: & niſi me fallit conjectura, non erit hic facilis via ad honores iis, qui religionem diuerſam a pontificia profitebuntur. Aula Polonica ſolet eſſe frequens; vix poterit fieri, quin in tanto nobilium hominum numero vnum aut alterũ reperias, quem (vt ait Poeta) aliquod tibi temperet aſtrum: cum præſertim plerique eorum, qui a pontificia religione ſunt alieni, cum eccleſiis noſtris potius, quam cum Germanicis ſentiant. Sunt quidem in Polonia multi ex nobilitate litteris exculti; ſed plerique eorum videntur artes dicendi potius curare, quam eas, quæ animum ſapientia & probitate informant. Quidquid ſit, ego Deum oro, vt tibi vbique adſit, & det felicem ſucceſſum huic tuo inſtituto: ex quo id etiam percipies fructus, quod ab inſanorum theologorum rixis procul aberis. Ego ſignificaui illuſtriſſimo meo Principi id, de quo Lintzii tecum & cum Cleinfeldio ſum locutus, cum apud te cœnaremus, & ab eo dimiſſionem petii. vt autem reſponſum ad meas litteras acciperem, peculiarem tabellarium mea pecunia hic

con-

conduxi, qui eas perferret, vetuique, ne huc rediret, niſi accepto reſponſo. Nondum mihi reſpondit illuſtriſſimus Princeps, quamuis ante ſex & viginti dies a me ſit ablegatus tabellarius. Interea tamen ad me ſcripſit cum ſignificatione beneuolentiæ, & quædam apud Imperatorem procuranda mihi mandauit. Domino Pro-Cancellario VVebero totam rem expoſui, qui valde reprehendit meum conſilium, & jurauit, ſe nullum vnquam audiuiſſe, qui eſſet alicujus dignitatis, de me aliter quam honorifice loquentem, & addidit, ſe maxime cupere vt ad ipſum ſæpius colloquiorum cauſſa accederem. Cum aliquos ei nominaſſem, qui de me eſſent parum honorifice locuti, reſpondit mihi, ſe habere eos pro fatuis, & me non debere talium hominum ſermones curare. Ideo autem cum ipſo de ea re aperte ſum locutus, vt occurrerem calumniis, quibus forte aliqui me petent, vbi intelligent, quid ego moliar. Quidquid ſit, nondum me mei conſilii pœnitet, & puto bono viro dandam eſſe operam, vt etiam criminis ſuſpicione careat. Huc ſcriptum eſt Antuerpia, bellum in Gallia recrudeſcere. Noſtris poſtulantibus indictus eſt conuentus Ordinum regni, quo iniretur ratio, qua publicæ tranquillitati conſuli poſſet. Verum medicina fuit ipſo morbo pernicioſior. nam qui ad eum conuentum venerunt, petierunt a

Rege,

Rege, ne religionem diuerſam ab ea, in qua maiores eius vixerunt, ferret in ſuo regno: quibus reſpondit Rex: ſe ſemper fuiſſe eius animi; & cum fieret pax ſuperiori æſtate, ſe ideo tantum conceſſiſſe noſtris liberum exercitium religionis diuerſæ a ſua dixit, vt ab ipſis fratrem abduceret: quem cum ſecum iam habeat, ſe conſtituiſſe libertatem illam ipſis adimere. Commendationis forte aliquid meretur tam ingenua perfidia. Conceperunt hic magnam ſpem de pace Belgica. Bene vale. Pragæ, quarto die Februarii MDLXXVII.

II.

ILluſtris & generoſe Domine, Doleo tibi nondum datam occaſionem exercendi tuam virtutem, & percipiendi fructum aliquem eorum laborum, quos maximos pertuliſti, vt animum tuum variarum rerum cognitione excoleres. Sed hac noſtra infelici ætate pleroſque eorum, qui virtutem & veram pietatem ex animo colunt, iſtiusmodi fati iniquitate premi videmus. Verum omiſſis querelis, quarum nunquam nobis deeſt materia, veniam ad ea de quibus mecum agis. Superiore autumno noſtri Galli egerunt cum illuſtriſſimo principe Caſimiro Palatino de conſcribendis copiis, quas in Galliam duceret. Regina vero Angliæ ad eum miſerat orato-

rem,

rem, veterem meum amicum, per quem non exiguam pecuniam ad eam expeditionem ei promittebat: verum pace in Gallia facta hæc omnia conſilia evanuerunt. Egerunt quidem de eadem re cum ipſo Ordines Belgici, ſed nec propoſuerunt conditiones, quæ ipſi placuerint, nec etiam tam ſerio ſuas res agere videntur, vt in re tanta fieri oportebat. Audiui quidem ab ipſis Ordinibus Belgicis, actum eſſe cum Gunthero Schvvarzburgio Comite de conſcribendis bis mille & quingentis equitibus, ſed neſcio an inter ipſos ea de re conuenerit. Quoniam autem petis, vt tibi ſignificem, quid ex re tua eſſe iudicem, dicam libere quod ſentio. Quamdiu iudicabis nefas eſſe diſſimulare quid ſentias in religione, in aulis Germanicis vix erit tibi locus; vel ſi ſit, habebis ſemper aliquos, qui inde occaſionem te calumniandi arripiant, & dent operam, vt principem, cui inſeruies, tibi minus beneuolum reddant. Solus eſt autem in Germania Princeps Caſimirus, apud quem hæ calumniæ non ſint metuendæ. Verum non habet adhuc eas opes, vt de ſuo aliquid magnum largiri poſſit iis, qui ipſi inſeruiunt. Tu tamen meo iudicio recte facies, ſi ad eum acceſſeris, & dederis operam, vt te in ſuam familiam recipiat: id ſi fueris conſecutus, experieris eum humaniſſimum, & ita iam rerum vſu exercitatum, vt paucos habeat principes Germania,

qui

qui ſint cum eo conferendi. Si contigerit eum expeditionem aliquam ſuſcipere, ſuis domeſticis plus habebit fidei quam exteris, & eis in exercitu præcipua munera demandabit. In expeditione, quam ante biennium ſuſcepit in Galliam, eius miniſtri conſecuti ſunt præmia ſuorum laborum non exigua: nam conſiliariorum eius menſtruum ſtipendium fuit mille coronatorum. Non quidem ſæpe contingunt eiusmodi occaſiones; verum præmium longe minus, quam fuerit illud, nequaquam tamen eſſet contemnendum. Id etiam conſilii libentius nunc tibi do, quoniam nuper transactum eſt inter Principem & Electorem eius fratrem de quibusdam controuerſiis inter ipſos exortis, quæ metuebamus ne in aliquid graue malum exardeſcerent. Si hoc meum conſilium tibi non improbatur, petendæ erunt tibi commendationes apud Principem ab iis, quos credis apud ipſum gratia & auctoritate valere: quidquid autem in hac re potero ego, id libentisſime tui cauſſa faciam. Quod ſi apud ipſum Principem diutiu tibi viuere non libebit, facile ſemper poteri ſecundo Rheno nauigare in Belgium, vbi ne quaquam tibi deerit occaſio exercendi te in r militari; & facile ab ipſo Principe impetra bis commendationes ad Orangium & ad eiu coniugem, quam ſcis per plures annos in au la Palatina vixiſſe. Quantum ad Barone

He

Heideccium attinet, nihil habeo quod dicam, cum nec mihi ſit notus, nec ſciam qua conditione velit te ſecum ducere. Ætas iam monet te vt de tuis rebus diligentius cogites, & aliquod vitæ genus tibi deligas. Iucundius autem tibi erit in his regionibus viuere, quam in illo horrido veſtro Septentrione; cum præſertim Princeps tuus in tantam calamitatem inciderit, & veſtra patria ſit obnoxia neſcio quibus malis geniis theologicis, qui a multis annis perpetuis turbis eam exercuerunt. Bene & feliciter vale. Francofurti, Calendis Februarii MDLXXIIX.

III.

SCripſit ad me noſter Monauius, ſe accepiſſe litteras tuas, quas ad ipſum miſi Francofurto, & tibi omnia fauſta & felicia precatur. Crato & quidam alii amici ſcripſerant ad me, omnia eſſe perturbatisſima in Pruſſia, & nobilitatem prorſus reiicere Marchionem Georgium Fridericum, quem etiam quidam ſcribebant in errorem mentis incidiſſe; Polonos vero iudicare ſe ex Ducis valetudine, & diſſenſione inter nobilitatem & Marchionem Georgium Fridericum, habere iuſtam occaſionem nouam formam reipublicæ pro arbitrio ibi conſtituendi. Quoniam rerum tam triſtium, & quæ tibi magnum dolorem adferrent, nolebam eſſe nuncius, hactenus a ſcribendo

Digitized by Google

bendo abſtinui: cum autem iam acceperim litteras a Doctore Andrea Paullo, quibus ſignificat ſe ſuperiore menſe diſceſſiſſe ex Pruſſia, rebus ibi feliciter conſtitutis, exiſtimaui me non facturum amice, ſi paterer te diu carere voluptate, quam ex ea re percipies; cum præſertim hæc habeam a viro, cui maxime ſit credendum, cum iſtarum rerum pars aliqua fuerit. Scribit, nobilitatem & vrbes præſtitiſſe iusiurandum Marchioni, ipſumque iam ita præeſſe prouinciæ, vt omnes ei obtemperent. Tale ſpecimen ingenii & induſtriæ ſuæ edidit D. Andreas Paullus in illis actionibus Polonicis & Prutecinis, vt ei reuerſo illuſtrisſimus Saxoniæ Elector donauerit prædium, quod æſtimatur duodecim millibus thalerorum. Poloni ſuo more inſaniunt: nihil obſeruant eorum, quæ decreta ſunt in decreto VVarsavvienſi, & ſe ſuo Regi acrius & impudentius opponunt, quam vnquam antea. Rex conſtituerat proficiſci Cracouiam, vt res vrbis & vicinarum prouinciarum componeret. ſed quia animaduertit ex ii[s] quæ a quibusdam factioſis agitabantur, ſe i[d] fruſtra tentaturum, mutauit ſententiam, & i[n] Ruſſiam & Podoliam conuertit iter; & qu[i] Camœneciam vsque profectus eſt, fama e[ſt] diſſipata, eum relicta Polonia fugiſſe in Tran[s]ſyluaniam. Aiunt eum cum Turcis agere, [vt] Bekeſſium præficiant Moldauiæ, ſed neſcio a[n]

Digitized by Google

ſit impetraturus. Audiuiſti quid in cauſſa religionis Imperator ante duos menſes tentauerit Viennæ. Diu ea de re diſceptatum eſt inter ipſum & proceres Auſtriacos: qui dicebant, ſe ante nouem aut decem annos ab Imperatore Maximiliano redemiſſe eam libertatem religionis qua fruerentur, vicies centenis millibus aureorum: Baro Strenius protulit litteras manu Imperatoris Maximiliani ad ſe ſcriptas, quæ id teſtabantur. Videbatur ea diſceptatio reiicienda in maximum conuentum Ordinum Auſtriacorum. Verum Imperator XXI die ſuperioris menſis propoſito edicto iuſſit concionatores Lutheranos ante occaſum ſolis Vienna excedere, & ante dies quatuordecim tota ſua ditione. Id accidit proceribus præter ipſorum exſpectationem, ipſosque valde perturbauit. Conſtituerant, vt ad me ſcriptum eſt, alios concionatores ſufficere in locum eorum qui erant pulſi; ſed an id ſit factum, & an Imperator ſit paſſurus, neſcio. Profectus eſt Imperator Lintzium, inde iturus in Bohemiam, venturus dicitur ad eum Lintzium Dux Bauariæ. qui vtinam ſuggerat ei conſilia, quæ ſint reipublicæ ſalutaria. Crato reuocatur in aulam Cæſaream. Saluta meo obſecro nomine Dominum Zulegerum & generoſum Dominum a VVinneberg. Coloniæ, XXII die Iulii MDLXXIIX.

IV.

Digitized by Google

IV.

IGnoſce obſecro, quod tardius reſpondeam ad litteras tuas peramanter ſcriptas, quas accepi Coloniæ, cum iamiam eſſem inde diſceſſurus, ſimul cum iis, quas ad communem noſtrum amicum dominum D. Andream Paullum dederas, cui eas ſtatim tradidi, ad quas dixit ſe quamprimum reſponſurum. Fuit mihi admodum iucunda eius conſuetudo, & gratum ex eo audire, quis ſit ſtatus earum regionum, in quibus bonam partem ætatis transegi cum optimis viris, quorum pleroſque Deus ad feliciorem vitam euocauit. Si qui autem ſunt ſuperſtites, ii fere omnes cum calamitatibus conflictantur: in quas quoniam ob iuſtitiam & veritatis profeſſionem inciderunt, earum rerum memoria me minus cruciat, quam ſi eorum culpa id accidiſſet. Certum eſt, Dauum iſtum, qui in illis regionibus omnia interturbauit, apud omnes fere odium & inuidiam ſibi conflauiſſe, eumque, cuius patrocinio antea præcipue nitebatur, eſſe animo ab ipſo plane alieno. Viximus Coloniæ ſuauiſſime per decem aut duodecim dies Doctor Andreas & ego: & vt alter alterius conſuetudine diutius frueretur, venit mecum VVeſaliam vsque. Sæpe tui facta eſt inter nos mentio, & ex verbis eius animaduerti eum eſſe tui amantiſſimum, & cupide factu-

ru

rum quidquid poterit, quod ad te ornandum & amplificandum pertinere poſſe exiſtimabit. Quantum apud illuſtriſſimum veſtrum Principem poſſit, puto tibi non eſſe ignotum. Suſpicatur ſibi in veſtram Boruſſiam breui redeundum fore, niſi illuſtriſſimi Electoris neceſſaria negotia eum alio auocauerint. nam Marchio id ab ipſo & ab Electore vehementer petit. Si eo redierit, perpende mecum, in qua re exiſtimes eum poſſe tibi gratificari, & id ad ipſum ſcribe, vel etiam ad me, & ne dubites eum omnia tua cauſſa facturum. Liberalitas illuſtriſſimi Electoris erga ipſum documento eſt, quanti ab eo fiat; & niſi obſtaret diuerſæ religionis profeſſio, haud dubie gratia & auctoritate apud ipſius Celſitudinem reliquos anteiret, quemadmodum meretur eius virtus & induſtria. Nauigat quidem in procelloſo mari; ſed eſt in ipſo ea ingenii præſtantia ac naturæ bonitas, vt ſperem eum euitaturum ſcopulos, ad quos alii naufragium fecerunt. Vides quo me abripiat meus erga ipſum amor & recordatio iucundiſſima conſuetudinis, quæ mihi recens cum ipſo interceſſit. Formula concordiæ excuditur Lipſiæ, niſi forte iam in lucem prodiit. Præcipuum ſatellitium, quo ſe tuetur, eſt trium Electorum auctoritas, quod etiam, vt audio, teſtabitur prima facies libri. hic iam habemus præfationem, quæ ei adiun-

 getur.

getur. Rex Daniæ conſtanter hactenus negauit ſe ſubſcripturum libro, etiamſi variis machinis eum adoriantur ii, qui ab ipſo id impetrare cupiunt. Probat noſtrorum ſententiam, qui dicunt non debere de iſtis controuerſiis iudicia inſtitui, ſed de iis diſceptandum eſſe in publica Synodo omnium Eccleſiarum, quæ iugum pontificium excuſſerunt, & petunt, vt eiuſmodi Synodus conuocetur. Sentiunt cum Rege Daniæ Duces Pomeraniæ, Holſatiæ, & Meckelburgenſis. Proximo menſe Aprili conuenient in Dania Electores Saxoniæ & Brandenburgenſis, & alii ſeptem aut octo Principes, in quorum numero futurus eſt illuſtrisſimus veſter Marchio. In eo conuentu haud dubie agitabitur controuerſia illa de religione. Sed ſi interea edetur liber, fruſtra diſceptabitur: nam Electores nihil de iure ſuo cedere volent, ſed tantum dabunt operam, vt Regem & Principes, qui cum eo ſentiunt, in ſuam ſententiam pertrahant. puto enim illos Principes deliberaturos de componendis tumultibus harum regionum. Moſchi liberarunt obſidione Naruam, & cæſa ſunt ab eis duo millia Suecorum. Aiunt ipſum Moſchouitarum Principem eſſe ad Pleskouiam cum ingentibus copiis, cum quibus putatur irrupturus in Curlandiam. Hic potius ducitur bellum, quam geritur: nam vtraque pars deſtituitur pecunia. Malecontenti, qui

antea

antea magna contentione egerunt vt Hiſpani ex his prouinciis diſcederent, iam dicuntur eorum auxilium implorare. Princeps Auriacus profectus eſt hinc in Hollandiam & inde Traiectum. Credo ipſum de conferenda pecunia cum illis hominibus agere, ac forte etiam de cauſſa Alenconii Ducis, cui iam hic fit maior ſpes quam antea. Angli de coniugio ſuæ Reginæ adhuc diſceptant. Bene vale. Antuerpiæ, VII Februarii MDLXXX.

HVBERTI LANGVETI EPISTOLA

ad

Nobiliſſimum ac ampliſſimum virum

D. MARTINVM BERZEVICIVM, Sereniſſimi Poloniæ Regis Conſiliarium & Principatus Tranſyluaniæ Cancellarium, Dominum ſuum & amicum veterem.

SImultates exortæ inter vos & hanc aulam noſtram non permiſerunt, vt te meis litteris ad ſcribendum prouocarem: quod conſtitueram ſæpius facere, ſi conſtans permanſiſſet amicitia inter vos & hos noſtros: tibi enim non ingratum exiſtimabam ex meis litteris cognoſcere, quid

HVBERTI LANGVETI
Epiſtolarum
ad
AVGVSTVM
Saxoniæ Electorem
Specimen.

Digitized by Google

AD LECTOREM
FRID. BEN. CARPZOVIVS.

HVBERTVM LANGVETVM virum doctiſſimum & humaniſſimum, ac rerum Germaniæ, in qua fere totam vitam contriuit, peritiſſimum, AVGVSTO Saxoni Septemuiro operam ſuam addixiſſe, & præcipui conſiliarii officio apud eum diu defunctum eſſe, Thuanus libro LXXIV Hiſtoriarum memoriæ prodidit. Opera præſtantiſſimi huius viri, inſigni cum laude negotia ſibi demandata gerentis, Gallicæque & Viennenſis aliarumque aularum conſilia callide explorantis, prudenter expendentis, & candide aperientis, feliciter vſum fuiſſe ſerenisſimum Electorem AVGVSTVM, teſtantur ad eum exaratæ epiſtolæ: quarum complures, iuſtum volumen implentes, ad manus noſtras beneficio Amici, de litteris elegantioribus & politioribus præclare meriti, peruenerunt. Eas omnes luc publicæ exponi e re omnino politices & elo quentiæ ſtudioſorum fuerit. admirabilis eni prudentia & exacta ſcientia noſcendæ reip blicæ, cum verborum puritate coniuncta, facili ac prompto ſermone expreſſa, in his

bendo abſtinui: cum autem iam acceperim litteras a Doctore Andrea Paullo, quibus ſignificat ſe ſuperiore menſe diſceſſiſſe ex Pruſſia, rebus ibi feliciter conſtitutis, exiſtimaui me non facturum amice, ſi paterer te diu carere voluptate, quam ex ea re percipies; cum præſertim hæc habeam a viro, cui maxime ſit credendum, cum iſtarum rerum pars aliqua fuerit. Scribit, nobilitatem & vrbes præſtitiſſe iusiurandum Marchioni, ipſumque iam ita præeſſe prouinciæ, vt omnes ei obtemperent. Tale ſpecimen ingenii & induſtriæ ſuæ edidit D. Andreas Paullus in illis actionibus Polonicis & Prutecinis, vt ei reuerſo illuſtriſſimus Saxoniæ Elector donauerit prædium, quod æſtimatur duodecim millibus thalerorum. Poloni ſuo more inſaniunt: nihil obſeruant eorum, quæ decreta ſunt in decreto VVarsavvienſi, & ſe ſuo Regi acrius & impudentius opponunt, quam vnquam antea. Rex conſtituerat proficiſci Cracouiam, vt res vrbis & vicinarum prouinciarum componeret. ſed quia animaduertit ex iis quæ a quibusdam factioſis agitabantur, ſe id fruſtra tentaturum, mutauit ſententiam, & in Ruſſiam & Podoliam conuertit iter; & quia Camœneciam vsque profectus eſt, fama eſt diſſipata, eum relicta Polonia fugiſſe in Transſyluaniam. Aiunt eum cum Turcis agere, vt Bekeſſium præficiant Moldauiæ, ſed neſcio an

ſit

ſit impetraturus. Audiuiſti quid in cauſſa religionis Imperator ante duos menſes tentauerit Viennæ. Diu ea de re diſceptatum eſt inter ipſum & proceres Auſtriacos: qui dicebant, ſe ante nouem aut decem annos ab Imperatore Maximiliano redemiſſe eam libertatem religionis qua fruerentur, vicies centenis millibus aureorum: Baro Strenius protulit litteras manu Imperatoris Maximiliani ad ſe ſcriptas, quæ id teſtabantur. Videbatur ea diſceptatio reiicienda in maximum conuentum Ordinum Auſtriacorum. Verum Imperator XXI die ſuperioris menſis propoſito edicto iuſſit concionatores Lutheranos ante occaſum ſolis Vienna excedere, & ante dies quatuordecim tota ſua ditione. Id accidit proceribus præter ipſorum exſpectationem, ipſosque valde perturbauit. Conſtituerant, vt ad me ſcriptum eſt, alios concionatores ſufficere in locum eorum qui erant pulſi; ſed an id ſit factum, & an Imperator ſit paſſurus, neſcio. Profectus eſt Imperator Lintzium, inde iturus in Bohemiam, venturus dicitur ad eum Lintzium Dux Bauariæ. qui vtinam ſuggerat ei conſilia, quæ ſint reipublicæ ſalutaria. Crato reuocatur in aulam Cæſaream. Saluta meo obſecro nomine Dominum Zulegerum & generoſum Dominum a VVinneberg. Coloniæ, XXII die Iulii MDLXXIIX.

IV.

IV.

IGnoſce obſecro, quod tardius reſpondeam ad litteras tuas peramanter ſcriptas, quas accepi Coloniæ, cum iamiam eſſem inde diſceſſurus, ſimul cum iis, quas ad communem noſtrum amicum dominum D. Andream Paullum dederas, cui eas ſtatim tradidi, ad quas dixit ſe quamprimum reſponſurum. Fuit mihi admodum iucunda eius conſuetudo, & gratum ex eo audire, quis ſit ſtatus earum regionum, in quibus bonam partem ætatis transegi cum optimis viris, quorum plerosque Deus ad feliciorem vitam euocauit. Si qui autem ſunt ſuperſtites, ii fere omnes cum calamitatibus conflictantur: in quas quoniam ob iuſtitiam & veritatis profeſſionem inciderunt, earum rerum memoria me minus cruciat, quam ſi eorum culpa id accidiſſet. Certum eſt, Dauum iſtum, qui in illis regionibus omnia interturbauit, apud omnes fere odium & inuidiam ſibi conflauiſſe, eumque, cuius patrocinio antea præcipue nitebatur, eſſe animo ab ipſo plane alieno. Viximus Coloniæ ſuauiſſime per decem aut duodecim dies Doctor Andreas & ego: & vt alter alterius conſuetudine diutius frueretur, venit mecum VVeſaliam vsque. Sæpe tui facta eſt inter nos mentio, & ex verbis eius animaduerti eum eſſe tui amantiſſimum, & cupide factu-

rum

rum quidquid poterit, quod ad te ornandum & amplificandum pertinere poſſe exiſtimabit. Quantum apud illuſtriſſimum veſtrum Principem poſſit, puto tibi non eſſe ignotum. Suſpicatur ſibi in veſtram Boruſſiam breui redeundum fore, niſi illuſtriſſimi Electoris neceſſaria negotia eum alio auocauerint. nam Marchio id ab ipſo & ab Electore vehementer petit. Si eo redierit, perpende mecum, in qua re exiſtimes eum poſſe tibi gratificari, & id ad ipſum ſcribe, vel etiam ad me, & ne dubites eum omnia tua cauſſa facturum. Liberalitas illuſtriſſimi Electoris erga ipſum documento eſt, quanti ab eo fiat; & niſi obſtaret diuerſæ religionis profeſſio, haud dubie gratia & auctoritate apud ipſius Celſitudinem reliquos anteiret, quemadmodum meretur eius virtus & induſtria. Nauigat quidem in procelloſo mari; ſed eſt in ipſo ea ingenii præſtantia ac naturæ bonitas, vt ſperem eum euitaturum ſcopulos, ad quos alii naufragium fecerunt. Vides quo me abripiat meus erga ipſum amor & recordatio iucundiſſima conſuetudinis, quæ mihi recens cum ipſo interceſſit. Formula concordiæ excuditur Lipſiæ, niſi forte iam in lucem prodiit. Præcipuum ſatellitium, quo ſe tuetur, eſt trium Electorum auctoritas, quod etiam, vt audio, teſtabitur prima facies libri. hic iam habemus præfationem, quæ ei adiun-

Digitized by Google

getur. Rex Daniæ conſtanter hactenus negauit ſe ſubſcripturum libro, etiamſi variis machinis eum adoriantur ii, qui ab ipſo id impetrare cupiunt. Probat noſtrorum ſententiam, qui dicunt non debere de iſtis controuerſiis iudicia inſtitui, ſed de iis diſceptandum eſſe in publica Synodo omnium Eccleſiarum, quæ iugum pontificium excuſſerunt, & petunt, vt eiusmodi Synodus conuocetur. Sentiunt cum Rege Daniæ Duces Pomeraniæ, Holſatiæ, & Meckelburgenſis. Proximo menſe Aprili conuenient in Dania Electores Saxoniæ & Brandenburgenſis, & alii ſeptem aut octo Principes, in quorum numero futurus eſt illuſtrisſimus veſter Marchio. In eo conuentu haud dubie agitabitur controuerſia illa de religione. Sed ſi interea edetur liber, fruſtra diſceptabitur: nam Electores nihil de iure ſuo cedere volent, ſed tantum dabunt operam, vt Regem & Principes, qui cum eo ſentiunt, in ſuam ſententiam pertrahant. puto enim illos Principes deliberaturos de componendis tumultibus harum regionum. Moſchi liberarunt obſidione Naruam, & cæſa ſunt ab eis duo millia Suecorum. Aiunt ipſum Moſchouitarum Principem eſſe ad Pleskouiam cum ingentibus copiis, cum quibus putatur irrupturus in Curlandiam. Hic potius ducitur bellum, quam geritur: nam vtraque pars deſtituitur pecunia. Malecontenti, qui antea

antea magna contentione egerunt vt Hiſpani ex his prouinciis diſcederent, iam dicuntur eorum auxilium implorare. Princeps Auriacus profectus eſt hinc in Hollandiam & inde Traiectum. Credo ipſum de conferenda pecunia cum illis hominibus agere, ac forte etiam de cauſſa Alenconii Ducis, cui iam hic ſit maior ſpes quam antea. Angli de coniugio ſuæ Reginæ adhuc diſceptant. Bene vale. Antuerpiæ, VII Februarii MDLXXX.

HVBERTI LANGVETI EPISTOLA

ad

Nobiliſſimum ac ampliſſimum virum

D. MARTINVM BERZEVICIVM, Sereniſſimi Poloniæ Regis Conſiliarium & Principatus Tranſyluaniæ Cancellarium, Dominum ſuum & amicum veterem.

SImultates exortæ inter vos & hanc aulam noſtram non permiſerunt, vt te meis litteris ad ſcribendum prouocarem: quod conſtitueram ſæpius facere, ſi conſtans permanſiſſet amicitia inter vos & hos noſtros: tibi enim non ingratum exiſtimabam ex meis litteris cognoſcere, quid

rerum gereretur in noſtra Gallia, & aliis ei vicinis prouinciis. Licet autem non ſcripſerim, non tamen propterea exiſtimare debes, meam erga te beneuolentiam & obſeruantiam, aut veteris noſtræ amicitiæ memoriam, in animo meo elanguiſſe. Tuam humanitatem nuper in mentem reduxit beneficium, quod noſtro Jordano præſtitiſti in adipiſcenda paterna hæreditate: qua ipſi perpetuo fuiſſet carendum, niſi tu eius patrocinium ſuſcepiſſes. Tu profecto in nequaquam indignum contuliſti beneficium. nam eſt vir bonus & doctus, & ita mecum amicitiam colit, vt nemo ſincerius. Judico itaque, beneficium a te in ipſum collatum, ad me quodammodo pertinere, & pro eo tibi gratias ago. A te vero aliud beneficium petere conſtitui, quod eſt eiusmodi, vt ſi mihi fueris gratificatus, dubitaturus forte ſis, num potius acceperis beneficium, quam contuleris. Proficiſcitur ad vos generoſus Baro, Fabianus Burggrauius a Dhona, quem licet vetus & illuſtris nobilitas commendet, magis tamen commendant eximia eius eruditio, & incoctum generoſo pectus honeſto. Ad quæ adiunxit non exiguum rerum vſum, peragratis iis regionibus, quæ in orbe chriſtiano cultiſſimæ habentur. Interfuit conuentui Imperii nuper peracto Ratisbonæ, vbi cum multis præſtantibus viris amicitiam contraxit, qui eius conſuetudine val-

ne valde ſunt delectati. Diſcedens Ratisbona ſecutus eſt hanc noſtram aulam, in qua ſibi viam ad honores patefacere facile potuiſſet, ſi id in animo habuiſſet. verum mauult inſeruire patriæ, etiamſi forte hic eſſent eius virtuti propoſita maiora præmia. Beneficium quod a te peto eſt, vt eum in amicorum numerum recipias: apud ipſumenim perfeci, vt iſtuc proficiſceretur, contrahendæ tecum amicitiæ cupidisſimus. Si quid autem humanitatis ipſi exhibueris, ego meo nomine tibi non minus deuinctum me fore profiteor, quam ſi mihi ipſi iſtud exhiberes. De rebus publicis iam non ſcribo, quia tardius tibi reddentur meæ litteræ. Scriberem ad te ſæpius, ſi mihi ſignificares qua ratione meæ litteræ ad te mitti posſint. Si generoſus Dominus Kendii eſt apud vos, & eſt adhuc noſtri memor, peto vt eum officioſe meo nomine ſalutes. Pragæ, pridie Nonas Februarii MDLXXVII.

HVBERTI LANGVETI
Epiſtolarum
ad
AVGVSTVM
Saxoniæ Electorem
Specimen.

Digitized by Google

AD LECTOREM

FRID. BEN. CARPZOVIVS.

HVBERTVM LANGVETVM virum doctiſſimum & humaniſſimum, ac rerum Germaniæ, in qua fere totam vitam contriuit, peritiſſimum, AVGVSTO Saxoni Septemuiro operam ſuam addixiſſe, & præcipui conſiliarii officio apud eum diu defunctum eſſe, Thuanus libro LXXIV Hiſtoriarum memoriæ prodidit. Opera præſtantiſſimi huius viri, inſigni cum laude negotia ſibi demandata gerentis, Gallicæque & Viennenſis aliarumque aularum conſilia callide explorantis, prudenter expendentis, & candide aperientis, feliciter vſum fuiſſe sereniſſimum Electorem AVGVSTVM, teſtantur ad eum exaratæ epiſtolæ: quarum complures, iuſtum volumen implentes, ad manus noſtras beneficio Amici, de litteris elegantioribus & politioribus præclare meriti, peruenerunt. Eas omnes luc publicæ exponi e re omnino politices & elo quentiæ ſtudioſorum fuerit. admirabilis eni prudentia & exacta ſcientia noſcendæ reip blicæ, cum verborum puritate coniuncta, facili ac prompto ſermone expreſſa, in his

prodit; vt exemplum quod imitentur inde ſibi capere liceat his, qui publicis negotiis vel expediendis, vel obſervandis indicandisque, a principibus adhibentur. Neque enim, vt vulgo perſuaſum, eiusmodi epiſtolarum ſtructura leuis ac in procliui poſita, ad retinenda grauiorum virorum ſtudia parum accommodata exiſtimanda eſt; ſed ſingulari ingenio ac arte opus ad exponendas facili & expedito ſermone arduas & impeditas negotiorum publicorum rationes. Quam artem qui adepti ſunt, quique bene, id eſt, tum diſerte, tum prudenter, & ad res, ad perſonas, ad tempora accommodate, epiſtolam ſcribunt, facillime ad intimam principum familiaritatem perueniunt, & ad maximarum rerum tractationem adhibentur, ſummisque honoribus augentur. Viam ſibi hac facultate ad dignitatem ſummæ proximam munierunt Jacobus Sadoletus, Petrus Bembus, Petrus de Vineis, Viglius Zuichemius, Augerius Gislenius Busbequius, Petrus Martyr, Rogerus Aſchamus, Jacobus Bongarſius, Georgius Michael Lingelshemius, Hugo Grotius, & nonnulli alii, qui prudentiæ facilem promptamque eloquentiam iunxerunt, perſpicue natiua ſimplicitate & congruenti dignitate ciuilia negotia, quæ animo complexi fuerant, in epiſtolis vel ad amicos datis, vel ad principes, qui conſilio ipſorum vtebantur, ſcriptis exponentes; dum conſilia-
rii

rii aut legati (quibus nominibus hodie omnis politicarum artium ſumma continetur, omneſque rerum magnarum præfecti ac tractatores ſignantur) munere fungebantur. Hac dignitate eximia cum Languetus etiam gauiſus fuerit, quippe cuius conſilio & opera Elector Saxoniæ ſuperiori ſæculo cum in aula Imperatoris Regisque Galliæ, tum aliis in locis per complures annos vſus eſt, amœnumque iſtius viri extiterit ingenium, quod in Seneca Tacitus prædicat, & temporis illius auribus accommodatum; merito magni faciendæ epiſtolæ de variis, cumprimis autem publicis, rebus ad ſuum Principem ſcriptæ: in quibus, præter argumenti varietatem & dignitatem, commendationem meretur natiua illa ſimplicitas, graui viro conueniens, excluſo nimio artis eloquentiæ ſtudio, & ſepoſito omni quidquid ſupra ac infra rem eſt reique animo conceptæ habitum. Præterquam enim quod *omni orationi*, docente Cicerone, *debet inſidere quidam venuſtatis non fuco illitus ſed ſanguine diffuſus color*, ſiue *naturalis non fucatus nitor*: cumprimis pragmatico homini *fugienda omnis nimia concinnitas*, quod notanter idem monet Tullius. *Maiore* ſiquidem *animo aggredienda eſt* huic *eloquentia*, quod Fabius præcipit prooemio libri IIX Inſtit. Orat. *quæ ſi toto corpore valet, vngues polire & capillum reponere non exiſtimabit ad curam ſuam*

pertinere. Et euenit plerumque, quod idem porro obſeruat, *vt hac diligentia deterior etiam fiat oratio. primum, quia ſunt optima minime accerſita, & ſimplicibus atque ab ipſa veritate profectis ſimilia. Nam illa quæ curam fatentur, & ficta atque compoſita etiam videri volunt, nec gratiam conſequuntur, & fidem amittunt, propter id quod ſenſus obumbrant, & velut læto gramine ſata ſtrangulant.* Veram itaque rationem tenuit Languetus, propria dilucida & ornata, non comta tamen aut affectata, oratione vſus, ſiue cum litteras ad amicos daret, quod e iam recuſis *ad Camerarios* manifeſtum eſt; ſiue cum ad nobiles viros ſcriberet, quod ex editis *ad Sidneium* patet; ſiue denique cum ad principes epiſtolas mitteret, quarum ſpecimen iam damus quasdam *ad Auguſtum* Saxoniæ Electorem: qui præſtantisſimo illo viro in exteris aulis vtebatur, donec in ſuſpicionem incideret, quaſi in religione harum prouinciarum aliquid ab ipſo turbaretur. Ab hoc exemplum capere licet iis, qui ciuilis vitæ elegantiam ſectantur, cuius magna pars verſatur in vero epiſtolarum vſu, & vel priuati argumenti litteras quadam ciuili gratia condire ſtudent, vel de publicis negotiis ad magnos viros ſcribere cupiunt. Quorum vtrumque ex antiquis nemo felicius Cicerone & Plinio præſtitit, inter recentiores Hubertus noſter haud poſtremum
locum

locum obtinet, cuius natiua ſimplicitas & venuſtas ſæculi noſtri genio plane accommodata habet aliquid, quod in exemplum ire poterit & trahere ciuilis elegantiæ & eloquentiæ cultores. Qui tanto auidioribus votis omnes ad AVGVSTVM eiusque conſiliarios Vlricum Mordiſium, & Georgium Cracouium, & alios viros claros epiſtolas, publicæ luci exponi expetent, quanto præſtantioribus rebus eas refertas, & digna ac argumentis conueniente oratione omnes ſcriptas eſſe, ex paucis quæ nunc euulgantur coniicere poſſunt.

I.

Illuſtriſſimo Principi ac Domino
DOMINO AVGVSTO
Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimareſchallo & Electori, Domino ſuo clementiſſimo
S. P. D.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Tandem ſum dimiſſus in arce Briantii, in qua Rex per aliquot dies hæſit, ſplendidiſſime acceptus a Conneſtabile. Ego coram omnia explicabo, & dabo operam vt has meas litteras præuertam, niſi quid incommodi mihi in itinere accidat. Sum enim de ea re ſollicitus, & quidem non immerito, quoniam mihi ſignificatum eſt a viris fide dignis, non

Digitized by Google

deſuturos qui me obſeruent in itinere. Statim enim vbi ii, qui Veſtræ Celſitudini non bene cupiunt, ſciuerunt me in has regiones miſſum, neſcio quæ ſunt ſuſpicati, & dederunt mandata quibusdam, vt diligenter inquirerent, quænam eſſet cauſſa meæ profectionis in aulam. Quidam autem ex iis, cui talia erant mandata, mihi hæc ſignificauit, & monuit me vt diligenter mihi cauerem, ſe enim ſcire mihi ſtrui inſidias. Ego hæc omnia committo Deo, qui me hactenus conſeruauit, & ſæpius ex maximis periculis liberauit. Rex Galliæ jam imponit finem iſti diuturnæ ſuæ peregrinationi, & redit in mediam Galliam. Putaur per hyemem hæſurus in oppido Blois ad igerim, infra Aureliam vnius diei itinere. ɔ indictus eſt conuentus ad menſem Januaɪm, de quo varia ſuſpicantur homines. Ferr vulgo, ibi denuo inſtituendam deliberatinem de religione, & mandatum jam eſſe quiusdam Epiſcopis, vt adjunctis ſibi aliquot ex octioribus theologis, comprehendant ſcripto ormulam aliquam doctrinæ, quam exiſtiment poſſe vtrique parti diſſentienti perſuaderi: quod ſi eſt verum, non dubito, quin ſint iſtum laborem fruſtra ſuſcepturi. Mihi videtur magis veriſimile quod alii dicunt, nimirum ideo eſſe indictum eum conuentum, vt ineatur ratio, qua Rex a ſuis ſubditis, & præſertim ab eccleſiaſticis, aliquid pecuniæ exigere poſſit

Digitized by Google

poſſit ad diſſoluendum æs alienum quo premitur. Fama eſt, Cardinalem Lotharingicum breui venturum in aulam ſtipatum magno ſatellitio, & quia Amiralius & Montmorantius nuper conuenerunt Meloduni ad Sequanam, decem milliaribus ſupra hanc vrbem, mira ſunt hominum judicia de iſtis rebus. plerique exiſtimant, denuo ad arma redeundum, & ſunt in varias ſpes erecti animi. Quamuis non dubitem, in hac tanta animorum diſſenſione ac hominum ſtultitia ex leviſſima etiam occaſione grauiſſimos tumultus oriri poſſe, ſpero tamen fore aliquos, qui edocti ſuperioribus malis turbulentiorum conatibus ſe opponant. Comes Araniæ Jacobus, frater naturalis reginæ Scotiæ, & alii proceres qui ſe nouo Regi oppoſuerant, profligati ſunt ex Scotia, & fugerunt in Angliam tredecim numero; ſed tamen Comes Araniæ retinet adhuc duas arces munitas in ea parte Scotiæ quæ ad Angliam vergit. Initio tumultus metuebat ſibi Rex Scotiæ ab Anglis, & propterea petiit auxilium a Rege Galliæ: ſed neſcio quomodo acciderit, vt eius aduerſarii ei citius ceſſerint quam ipſe exiſtimaret. Nihil adhuc tentavit in religione, nam concionatores libere vt antea concionantur, acceditque ipſe Rex ad eorum conciones: ſed tamen omnes exiſtimant, eum magis propenſum eſſe in religionem pontificiam, & exſpectare occaſionem faciendæ

ciendæ mutationis; quam ſi jam tentaret, forte populus reuocaret proceres qui Angliam fugerunt. Regina Angliæ eſt valde ſollicita de ſuis rebus, cum ſciat in ſuo regno eſſe plurimos, qui ſint clam addicti religioni pontificiæ, & propterea ſuſpicetur eos expetere Regem & Reginam Scotiæ, qui dicunt ſe eſſe hæredes regni Anglici; eorumque auctoritas hac recenti victoria non parum ſit aucta. Quod ſi eſt verum id quod his diebus eſt huc ex aula Scotica perſcriptum, nimirum ipſam Reginam Scotiæ eſſe grauidam, & forte pariat maſculum, procul dubio augebitur periculum Reginæ Angliæ. Animaduertit etiam Regina Angliæ ſe eſſe in odio apud multos ex proceribus Anglicis, eo quod Robertum Dudlæum ad tantam dignitatem euexerit: ob eam cauſſam, cum proceres Scotici fugiſſent in Angliam, & ſignificaſſent ſe eius colloquium expetere, noluit cum eis colloqui, niſi Gallico & Hiſpanico legatis præſentibus. Præterea denuo videtur, aut ſaltem ſerio ſimulat, ſe expetere coniugium Caroli Auſtriaci, cuius aduentum in Anglia exſpectari inde mihi ſcriptum eſt a viris non paruæ auctoritatis. Ego quantum ad me attinet ſum adhuc in ea ſententia, vt non credam eam nupturam Carolo Auſtriaco, ſed ipſam interea dum id ſimulat, quærere occaſiones denuo turbandi res Scoticas, & reducendi in patriam profugos proceres,

Digitized by Google

res,quos ſcit perpetuo inimicos fore Regi. Inter alias conditiones, quas Carolo Auſtriaco propoſuit, petiit ab eo annua quatercentena millia coronatorum dotalitii nomine, ſi contingeret ipſam ei ſuperuiuere: dixit enim, ſe nolle minus habere quam habuerit ſoror, cui tantundem a Rege Hiſpaniæ promiſſum fuerat. id eſſe impoſſibile Carolo Auſtriaco nemo eſt qui ignoret. Ego de iſtis rebus ideo ſcribo curioſius ad Veſtram Celſitudinem, quia exiſtimem ſereniſſimum Regem Daniæ oportere eſſe intentum in res Scoticas, quas nimium creſcere non eſt ipſi tutum, præſertim ſi procedat coniugium inter Suecum & Lotharingam, propter coniunctionem ſanguinis, quæ eſt inter ipſam & Reginam Scotiæ: nemo enim ignorat quam multa iſti ſua ambitione comprehendant, & quale ſit ingenium Cardinalis Lotharingici. Chriſtophorus Marchio Badenſis nauigauit in Angliam cum coniuge Suecica, quæ Londini enixa eſt filium, cuius ſuſceptores in baptiſmo fuerunt Rex Galliæ & Regina Angliæ, eſtque nominatus Eduardus Fortunatus. Ajunt Marchionem eo nauigaſſe vt renouet veterem cantilenam de coniugio inter Reginam & Suecum, quod non puto eſſe verum, niſi iſti plane inſaniant. Duodecima huius menſis Princeps Condæus duxit in vxorem ſororem Ducis de Longauilla, ſuntque celebratæ nuptiæ in vrbe Vindocinenſi.

Mortui

Mortui ſunt in his regionibus nuper Princeps dela Rochesuryon, ex regio ſanguine, Dominus de Sipierre, præfectus ducatus Aurelianenſis & Biturigum, & Comes de Sancerre, viri magnæ auctoritatis. Sponſa Principis Parmenſis nauigans ex Portugallia in Belgium pulſa eſt tempeſtatibus in eam partem occidentalis Angliæ, quæ Cornubia dicitur, iam vero eam aiunt appuliſſe in Zelandiam. Dux Parmenſis eius ſocer dudum eam exſpectat Bruxellis. Venerunt in has regiones ſtudiorum cauſſa, & vt linguam Gallicam diſcant, PrincipesPomeranici, qui aliquandiu vixerunt VVittembergæ, & iam ſunt in hac vrbe. Deus conſeruet Veſtram Celſitudinem cum tota illuſtriſſima familia. Pariſiis, XVII Nouembris MDLXV.

Cum iam has litteras eſſem obſignaturus, quidam veniens ex Anglia narrauit mihi, omnes proceres Scoticos profugos eſſe ſuo regi reconciliatos, & rediiſſe in Scotiam, Comite Araniæ & fratre naturali Reginæ exceptis. Narrauit item, ſororem Regis Sueciæ, quæ Marchioni Badenſi nupſit, eſſe in ſumma gratia apud reginam Angliæ, eique a Regina multa eſſe donata.

II.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Hactenus ad Veſtram Celſitudinem nihil

nihil ſcripſi, quia non auſus ſum mittere litteras Antuerpiam, ne reſignarentur ab iis qui itinera obſeruant, metu tumultuum qui inferiori Germaniæ impendere videntur. Nunc primum autem datus eſt tabellarius, per quem poſſem Noribergam litteras mittere. Rex Galliæ toto Maio & Junio verſatus eſt hic & in vicinia. conſtituerat exſpatiari in Picardiam, ſed credo propter motus Belgicos eum mutaſſe conſilium: non enim vult Regi Hiſpaniæ aut etiam Belgis ſuſpicionem injicere; nec puto conſultum eſſe vt procul ab hac vrbe abſit hoc tempore, quo omnium animi ſunt erecti in euentum turbarum Belgicarum. Res Gallicæ alias ſunt ſatis tranquillæ vbique præterquam apud Toloſates. Nam ante menſem orto tumultu in oppido Palmeria, quod abeſt a Toloſa vnius diei itinere, noſtri interfecerunt ex pontificiis triginta aut quadraginta, amiſſis ex ſuis quatuor aut quinque tantum. Verum pontificii qui ex eo tumultu euaſerunt, ita concitarunt aduerſus noſtros habitatores oppiduli Foix, quod abeſt a Palmeria duobus tantum milliaribus, vt ſub auroram correptis armis jugularint ex noſtris quindecim aut ſedecim adhuc decumbentes in lectis. Id vbi reſcitum eſt Toloſæ, cœperunt pontificii fremere & minitari dira noſtris, qui metuentes ſæuitiam populi, quo nullus eſt in Gallia crudelior, abierunt ex vrbe non pauciores duobus

bus millibus. Aula fuit de iis rebus aliquandiu ſollicita: nam Palmeria muniuit ſe præſidio militari, & Toloſa vrbs potens & factioſa non ſatis obtemperabat Valentino Epiſcopo, qui ante aliquot menſes eo eſt a Rege miſſus; ſed audio iam eſſe bonam ſpem tranquillitatis, & Toloſates reuocare eos qui ex vi be diſceſſerunt. Regis fratribus iam ſunt attributi certi principatus, quos ipſi & eorum poſteritas maſcula poſſideant. Quilibet autem ipſorum habebit in annuis reditibus centum millia francorum. duo floreni germanici æquiualent tribus francis huius monetæ. Præter hos reditus Rex dat cuilibet annuum ſtipendium, ſeu penſionem ducentorum millium francorum: ſed hoc ſtipendium non perueniet ad ipſorum poſteritatem. Maior natu, qui antea Aurelianenſis, nunc Andegauenſis Dux nominatur; minor autem Dux Alenconii. Dux Lotharingiæ iam hic eſt vna cum coniuge. Paullo ante eius aduentum Cardinalis Lotharingicus & Guiſii omnes diſceſſerunt ex aula, ob ſimultatem inter ipſos ortam ex hac cauſſa. Cum Cardinalis Lotharingicus animaduerteret viduam Guiſii fratris vehementer amari a Duce de Nemours, qui eſt patruelis Ducis Sabaudiæ, & eius nuptias ab ipſo vehementer expeti, exiſtimauit ſibi dari occaſionem locupletandi filios fratris. Non permiſit itaque vt Guiſia, quæ tota ab ipſo pendebat, conſentiret in eas nuptias,

nuptias, niſi a Duce de Nemours hæres omnium bonorum inſtitueretur, ſi ſine liberis decederet, quod tandem eſt ab ipſo impetratum. Ea res ideo male habet Ducem Lotharingiæ, quia eius patruus Comes Valdemontius, quem V.C. vidit Francofurti, duxit in vxorem ſororem vnicam Ducis de Nemours, quæ ea inſtitutione Guiſiæ exhæredatur a fratre. Adoleſcens Guiſius dicitur proficiſci in Bauariam, ſpe ducendi in vxorem filiam Ducis Bauariæ. Cardinalis ideo expetiuit eam affinitatem, quia exiſtimauit Regem Galliæ ducturum filiam Imperatoris Maximiliani, & Guiſium ratione coniugis fore propinqua affinitate Regi coniunctum. Credo Veſtram Celſitudinem audiuiſſe, Regem Galliæ proximis annis miſiſſe naues armatas in mare occiduum, quæ nouas terras inquirerent. Eæ naues tandem peruenerunt ad eam partem Indiæ occidentalis quam Floridam appellant, & in ripa cuiusdam fluminis arcem extruxerunt, quam Carolinam nominarunt. Hiſpani exiſtimantes non conducere ſuis rebus, vt Galli figerent ſedes in loco non valde remoto ab iis regionibus quas in India occidentali obtinent, proximo autumno arcem eam occuparunt, & quotquot Gallos in ea repererunt crudeliter interfecerunt. Cum autem ſub id tempus quo Hiſpani eam arcem occuparunt, tres naues Gallicæ feciſſent naufragium non procul ab

eo

eo loco, & plerique ex iis qui erant in nauibus incolumes in littus euaſiſſent, ii rerum omnium penuria adacti dediderunt ſe Hiſpanis,qui eos in ſuam fidem receperunt, &tamen poſtea iugularunt. Fama eſt, Diepenſes naues factas obuias Hiſpanicis aliquot in ſinu Cantabrico, eas merſiſſe,vt vlciſcerentur cædem ab Hiſpanis factam in Florida. Jam armantur a Rege Galliæ aliquot naues in littore Pictonico, & ad oſtium Garumnæ, quas quidam exiſtimant denuo in Floridam nauigaturas. Alii vero putant, quod eſt magis veriſimile,eas comitaturas naues Hiſpanicas nauigantes in inferiorem Germaniam, aut ſaltem prætereunte claſſe Hiſpanica tutaturas Galliæ littora. Pontifex Romanus nuper ad Regem miſit legatum, qui illi occineret obſoletam illam cantionem de recipiendis decretis concilii Tridentini, & de adimenda libertate religionis, quæ noſtris Edicto de pace eſt conceſſa; ſed parum profecit. Dicitur adiudicaſſe fiſco bona eorum omnium qui in Auenionenſi ditione religionem noſtram profitentur, ſed Rex impedit executionem, ne alicui tumultui cauſſam præbeat. De rebus Belgicis non dubito Veſtram Celſitudinem certiora habere quam nos hic habeamus. Omnia videntur ſpectare ad tumultus. Nam Rex Hiſpaniæ non feret eam mutationem quæ ibi tentatur, & iam armat in Hiſpania claſſem ad eos compeſcendos.

dos. Fama eſt, hic eum petere tranſitum per Galliam, ſed id mihi non videtur veriſimile. Valde vereor ne Belgium in eadem mala incidat in quæ incidit hoc regnum proximo bello ciuili. Si ad arma deveniatur, innumeri ex his regionibus eo confluent. Sperabant Belgæ Imperatorem Maximilianum in proximis comitiis remedium aliquod ipſorum malis adhibiturum: vbi viderunt ſe ſua ſpe falſos, tentarunt extrema. Dolendum eſt ſane, cultiſſimam & florentiſſimam totius orbis regionem Pontificis Romani ſcelere & factionibus, ac inſania eorum qui ſunt a conſiliis Regi Hiſpaniæ, euerti. Mirum eſt, eos toties fruſtra conatos impedire progreſſum euangelii, non animaduertere quam ſtulta conſilia hactenus inierint, nec adhuc quærere idonea remedia huic incendio, quod ſine dubio peruagabitur totum orbem Chriſtianum. Sed iſta accidunt malitia & peruerſitate eorum qui valent auctoritate apud reges & principes. ii enim aut ditati opibus eccleſiaſticis, aut corrupti muneribus a Pontifice Romano, ſuæ ambitionis & amplitudinis cauſſa ſuggerunt conſilia ſuis principibus, quæ non ignorant eſſe reipublicæ pernicioſa. Mercatores ſoliti hactenus negotiari in Belgio petunt a Rege eas immunitates in vrbibus Galliæ maritimis quas habuerunt Antuerpiæ, & promittunt, ſe emporium, quod ibi fuit, in Galliam translaturos.

Digitized by Google

turos. Dominus de Montingni, frater Comitis Hornenſis, ante menſem hac fecit iter, miſſus ab Ordinibus inferioris Germaniæ ad Regem Hiſpaniæ, vt ei exponat cauſſas ob quas non admiſerunt inquiſitionem Hiſpanicam. Marchio a Berghen iam proficiſcitur in Hiſpaniam ob eandem cauſſam, & hodie diſceſſit ex hac vrbe. Multi putant eum non ſatis caute facere, quod ſe hoc ſtatu rerum Hiſpanorum fidei credat. Cum huc redii Auguſta, denuo increbreſcebat fama de coniugio inter Reginam Angliæ & Archiducem Carolum. Omnes Angli qui hic viuunt, ipſe etiam legatus Reginæ, ffirmabant rem eſſe pene confectam. Delectus erat in Anglia Comes Suſſexiæ qui ad Imperatorem proficiſceretur, & ei nomine Reginæ traderet Ordinem cinguli ſeu garterii, vt vocant, & de tota re tranſigeret. Ea res ideo facilius credebatur, quia Comes Vormondiæ Hibernus, elegans iuuenis, videbatur iam plus valere gratia apud Reginam quam Robertus: quem etiam Comes Suſſexiæ, cuius iam mentionem feci, prouocarat ad duellum, ex neſcio qua cauſſa. Præterea Dux Nortfolciæ, qui eſt præcipuæ auctoritatis in Anglia, grauiter eum obiurgarat, & obiecerat, quod non bonis artibus impediret ne Regina nuberet, ob quam rem Robertus ex aula diſceſſerat. Accedebat & hoc, quod Regina iuſſerat omnes concionatores inter concionandum

Digitized by Google

vti veſte linea & pileo quadrato, & putabatur vlterius progreſſura, quæ omnia videbatur facere in gratiam Caroli Archiducis. Sed iam fama illa paullatim conticeſcit, & in Anglia ortæ ſunt diſputationes de linea veſte & adiaphoris, quæ eccleſias valde turbant, & Robertus reuocatus eſt in aulam a Regina, quæ eius abſentiam diutius ferre non potuit. Cum in reditu Reginam ſalutaret, pro more illius gentis oſculatus eſt omnes nobiles mulieres quæ aderant Reginæ: diffidens autem beneuolentiæ Reginæ erga ſe, non eſt auſus eam oſculari vt antea erat ſolitus. id cum animaduertiſſet Regina, acceſſit ad eum & dixit ei ridens: annon videor tibi digna quæ etiam oſculo a te excipiar? & ſtatim eſt eum oſculata, tam facile redintegratum eſt diſſidium ortum inter amantes. Quidam ex proceribus Hibernis mouit Reginæ Angliæ bellum in Hibernia. Quamuis is non habeat magnas vires, tamen Angli metuunt ne Scoti ei ferant auxilium & bellum illud alant. Chriſtophorus Marchio Badenſis, qui ſuperiore anno nauigauit in Angliam cum vxore Suecica, fecit Londini multum æris alieni. Cum vrgerent creditores ſolutionem, dixit eis, ſe profecturum in Germaniam & inde pecuniam allaturum, qua ipſis ſatisfieret. Abiit itaque in Germaniam, & poſt aliquot menſes rediit clam in Angliam mutato habitu, & conatus eſt inſciis creditori-
bus

bus vxorem & filium abducere. ſed neſcio quomodo ab ipſis deprehenſus coniectus eſt in carcerem, ex quo paullo poſt eſt liberatus, inuentis interceſſione Reginæ mercatoribus Germanis qui pro eo fideiuberent. Regina Scotiæ peperit filium decima nona Iunii paullo ante octauam matutinam, ad quem in baptiſmo ſuſcipiendum inuitauit Regem Galliæ & Reginam Angliæ. Dux Joannes Fridericus & Grombachius nuper ſcripſerunt ad Regem Galliæ, & ei conantur perſuadere, ſe eius odio oppugnari. non enim eſſe dubium dicunt, quin ſit decretum ab Imperio, vrbem Metenſem armis repetere, etiamſi hoc anno id non fiat. hoc autem iam agi, vt ipſi opprimantur, ne Rex habeat quorum opera vtatur, ſi neceſſitate adigatur ad conſcribendum militem Germanicum. Inde autem apparere, Grombachium ideo oppugnari, quia habeat a Rege Galliæ ſtipendium, & ſit erga Galliam bene affectus, quoniam in comitiis nihil durius ſtatutum eſt aduerſus Ericum Ducem Brunſuicenſem, qui tamen eadem, & quidem maiora, commiſit quam Grombachius. Præterea aiunt, Imperatorem ſignificaſſe Alberto Roſembergio vt boni conſuleret iſtam diuturniorem captiuitatem: nihil enim ipſi eſſe periculi, ſed ipſum diutius detineri ſolum in gratiam Veſtræ Celſitudinis. Hæc quæ de Metenſi vrbe dicta ſunt nonnihil mouerunt

Regem

Digitized by Google

Regem, ita vt exiſtimem eam ob cauſſam Mareſchallum Vielleuilium breui eo profecturum. Cum talia audio, ego quantum poſſum ea refello, & ſcio plurimos mihi habere fidem, ac exiſtimo ipſos nihil impetraſſe a Rege niſi verba. Forte Rex petiit per litteras a Duce Joanne Gulielmo, ne ſe huic negotio immiſceret. ſed puto non admodum ſerio id peti, ſed tantum, ne Rex videatur nullam habere curam ſuorum miniſtrorum. Dux Joannes Gulielmus ſignificauit Regi, ſe ſub finem Augusti venturum in has regiones eius ſalutandi cauſſa. Legati Regis Sueciæ ſunt adhuc in aula Lotharingica. Inſtituta eſt hic diſputatio inter duos Doctores theologiæ pontificios, & duos Concionatores ex noſtris eccleſiis. Proponunt ſibi examinandam confeſſionem fidei, quam noſtræ eccleſiæ exhibuerunt Regi ante quinquennium. Nulla hominum memoria fuit hic tanta caritas vini & frumenti quanta iam eſt. medimnus tritici, qui communiter hic ſolet vendi duobus florenis, vel duobus cum dimidio, proxima ſeptimana venditus eſt quindecim: ſed iam aliquid de pretio remittitur. vas autem vini, quod vſitate venditur decem aut duodecim florenis, iam venditur quadraginta aut quinquaginta. Curo compingi aliquos libros Veſtræ Celſitudini, vt ab ea eſt mihi mandatū: ſed non poterunt mitti ante mercatum Francofurtenſem, nam per

inferiorem Germaniam iam mitti non poſſunt. Deus ſeruet incolumem Veſtram Celſitudinem & totam illuſtriſſimam veſtram familiam. Lutetiæ, XII Julii MDLXVI.

III.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Ante menſem expoſui Veſtræ Celſitudini cauſſas, quæ me mouent vt de reditu in patriam cogitem, dummodo bona venia Veſtræ Celſitudinis id mihi liceat. Jam autem huc acceſſi, vt de ea re ſententiam Veſtræ Celſitudinis audiam: a qua ſuppliciter peto, ne in hac parte a ſua vſitata erga me benignitate & clementia recedat. Quocunque terrarum peruenero, non ſolum paratus ero, quamdiu viuam, quidquid erit in me induſtriæ & ingenii in obſequia & ſeruitia Veſtræ Celſitudinis impendere, ſed etiam, ſi ſit opus, non dubitabo ipſam vitam in eam rem profundere: nam id a me ſuo iure exigunt ſumma virtus Veſtræ Celſitudinis & innumera ab ea collata in me beneficia. Si autem Deus volet me incolumem in patriam redire, ſpero meam operam forte maiori vſui fore ibi Veſtræ Celſitudini quam in his regionibus. Nam poſthac ſine dubio multa mouebuntur in aula Gallica, cum Rex iam adoleſcat, & Hiſpani illa ſtulta deuaſtatione inferioris Germaniæ, & abalienatione animorum ſubditorum a ſe, videantur tollere, aut

aut ſaltem valde labefactare obicem & repagulum, quod hactenus Gallicam potentiam repreſſit. Itaque exiſtimo non fore inutile Veſtræ Celſitudini, habere aliquem qui interdum ſcribat quid rerum iis in locis geratur, & Veſtræ Celſitudinis exiſtimationem tueatur aduerſus maleuolorum calumnias: præſertim hoc tempore, quo nondum deflagrauit inuidia, quæ non potuit non comitari felices illos ſucceſſus, quos Deus ſua benignitate recens Veſtræ Celſitudinis virtuti conceſſit; repreſſis per eam illorum furoribus, qui in hoc toti incumbebant vt Germaniam funditus euerterent. Peto autem a Veſtra Celſitudine, ſi quando Deus propter peccata noſtra volet nobis adimi illam libertatem in religione, qua iam fruimur in Gallia, vt liceat mihi in his regionibus habere hoſpitium, ſicut hactenus habui. Et quoniam iam non facio iter per Germaniam ſine periculo, ſi non diſpliceret Veſtræ Celſitudini, mihi eſſet commodum Francofurtum proficiſci ad mercatum qui iam inſtat, vbi etiam poſſem aliqua de rebus externis intelligere, de quibus forte non eſſet inutile Veſtram Celſitudinem certiorem fieri. Ego toto pectore Deum omnipotentem oro, vt Veſtram Celſitudinem cum tota illuſtriſſima familia clementer tueatur aduerſus eorum inſidias, quibus patriæ ſalus & tranquillitas eſt exitioſa, & in ipſa conſeruet eum animum

Digitized by Google

erga eccleſiam Dei & rempublicam, quem hactenus cum ſumma voluptate in ipſa conſpeximus, & Germaniæ ſumus gratulati. IIX Auguſti MDLXVII.

IV.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Proceres inferioris Germaniæ illa ſua animi mollitie ſe & patriam in maximas calamitates & miſeram ſeruitutem conjecerunt. Hiſpani quid haberent animi minus diu diſſimularunt quam exiſtimabamus, traditis cuſtodiæ Egmondano, Hornenſi, conſule Antuerpienſi, & multis aliis ex nobilitate, ac etiam euocato Bruxellas filio Principis Auraicæ, qui Louanii operam litteris dabat. Affecerunt etiam ſupplicio duos filios Baronis a Battenburg, egregios iuuenes, & decem aut duodecim alios. Antequam id tentarent, præſidiis Hiſpanicis occuparunt Bruxellas, Gandauum, Anguianum, Liram & Dieſtam. Habent ad quadraginta ſigna peditum Germanicorum, diſpoſita per præſidia Antuerpiæ, & in aliis vrbibus, quibus non ſatis fidunt. Prudenter fecit Princeps Auraicus quod ipſis eum ad ſe vocantibus non eſt obſecutus. Mortui ſunt in Hiſpania Marchio Bergenſis & Dominus de Montigni, frater Comitis Hornenſis, qui ante annum eo miſſi erant legati ab Ordinibus inferioris Germaniæ. Hiſpani dicunt eos morbo interiiſſe, alii putant clam interfe-

ctos,

ctos, quod eſt magis veriſimile, cum vterque fuerit firma valetudine & florente adhuc ætate. Multi exiſtimant Albanum miſſurum Egmondanum & alios captiuos in Hiſpaniam: cum præſertim iam pene pro certo habeatur, Regem non venturum in inferiorem Germaniam. Rerum ciuilium cura in poſterum erit penes Parmenſem, Albanus autem præerit exercitibus. Interdixerunt ſub pœna capitis, ne quis ex Nobilitate exeat e Regis ditione, aut quidquam commercii cum exteris habeat. In Gallia omnia denuo incipiunt turbari. Ii qui noſtram religionem profitentur, quoniam vident ſe a Regina, & ab iis qui rerum potiuntur, incommodius tractari, ex quo Hiſpani Alpes tranſierunt, & militem externum paullatim in Galliam induci, vt tanquam vinculis conſtringantur, conſtituerunt ſuam libertatem armis tueri, & parabant ſe ad bellum, cum mercatores, qui hic fuerunt, ex Gallia diſcederent. Dabant tamen operam Conneſtabilis & quidam alii, vt hoc incendium reſtinguerent Quid ab eo tempore acciderit ignoramus: nam varii rumores, qui de iis rebus hic ſunt ſparſi, videntur mihi incertiſſimi. Nemo iam fere dubitat quin Principes pontificii inter ſe fœdus inierint ad opprimendos eos qui a Romana eccleſia defecerunt: & omnes affirmant Imperatorem eo fœdere comprehendi, quidquid diſſimulet.

Digitized by Google

Quod quidem non libenter ſcribo; ſed tamen ad id me adigit fides qua ſum obſtrictus Veſtræ Celſitudini: quam puto recte facturam, ſi diligentius in eius actiones inquirat, nec eius verbis nimis fidat. Rex Galliæ inuitatus ad illud fœdus, diu recuſauit ſe coniungere aliis; ſed tamen plerique exiſtimant, eum ipſis eſſe obſecutum, poſtquam animaduertit res noſtrorum in inferiore Germania eſſe plane euerſas. Ego accepi litteras ex Gallia a viris fide dignis, in quibus ſcribitur, Palatinum Electorem & Ducem VVurtembergenſem, ſuo & quorundam aliorum principum nomine, egiſſe de fœdere cum Rege Galliæ. Quid ſit eorum legatis reſponſum, neſcio; ſed tamen cum in Conſilio regio de ea re ageretur, ſcio multos hortatos eſſe Regem ad tale fœdus, ſi modo Veſtra Celſitudo ſe ei adiungeret. An hæc omnia ſimulentur, ignoro. Si quid certius explorare potero, id vel per peculiarem tabellarium ad Veſtram Celſitudinem ſcribam: nam hæc mihi videntur eſſe maximi momenti. Ante duos menſes ſerio actum eſt in aula Gallica de Regis coniugio: & ſcio, multos ex iis, qui plurimum valent auctoritate, cenſuiſſe, Regem optime ſibi & regno conſulturum, ſi cum Veſtra Celſitudine contraheret affinitatem; & viſa eſt Regina eam ſententiam approbare. Forte etiam inter alias hæc eſt eius rei cauſſa, quod Ludouicus Vanegnus eſt

eſt non ita dudum miſſus a Rege Hiſpaniæ ad Imperatorem, vt omnino tranſigeret de coniugio inter filium Regis Hiſpaniæ, & filiam primogenitam Imperatoris, & ageret de coniugio inter ſecundogenitam & Regem Portugalliæ. Hæc etiam ita ſcribo, vt putem omnino vera eſſe; quamuis Veſtra Celſitudo facile poterit huius rei veritatem ex aula Cæſarea reſciſcere. Iam celebrantur nuptiæ Principis Bauarici & Lotharingicæ in oppido Blancberg, eo quod peſtis ſæuiat Nancei & in locis vicinis. Nullus princeps peregrinus ad eas nuptias venit. Statim poſt nuptias Dux Lotharingiæ profectus eſt ad Regem Galliæ. Caſimirus filius Electoris Palatini putatur ducturus filiam Ducis VVurtembergenſis, apud quem iam eſt, & filius VVurtembergenſis filiam Palatini. Quæ aguntur de remouendo Archiepiſcopo Colonienſe puto Veſtræ Celſitudini non eſſe ignota. Multi putant Auguſtanum Cardinalem conari ſe clam intrudere in eum epiſcopatum per Pontificem Romanum & Regem Hiſpaniæ. Audio Erneſtum de Mandesloe, Juſtum a Zebitz, & Pflugium eſſe Lutetiæ. Si certo reſciſcam turbatam eſſe Galliam, Argentorati aut alicubi in vicinia ſubſiſtam, & inde ad Veſtram Celſitudinem ſcribam. Ego omnia fauſta & felicia Veſtræ Celſitudini precor ac toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, XXI Septembr. MDLXVII.

Digitized by Google

turos. Dominus de Montingni, frater Comitis Hornenſis, ante menſem hac fecit iter, miſſus ab Ordinibus inferioris Germaniæ ad Regem Hiſpaniæ, vt ei exponat cauſſas ob quas non admiſerunt inquiſitionem Hiſpanicam. Marchio a Berghen iam proficiſcitur in Hiſpaniam ob eandem cauſſam, & hodie diſceſſit ex hac vrbe. Multi putant eum non ſatis caute facere, quod ſe hoc ſtatu rerum Hiſpanorum fidei credat. Cum huc redii Auguſta, denuo increbreſcebat fama de coniugio inter Reginam Angliæ & Archiducem Carolum. Omnes Angli qui hic viuunt, ipſe etiam legatus Reginæ, ffirmabant rem eſſe pene confectam. Delectus erat in Anglia Comes Suſſexiæ qui ad Imperatorem proficiſceretur, & ei nomine Reginæ traderet Ordinem cinguli ſeu garterii, vt vocant, & de tota re tranſigeret. Ea res ideo facilius credebatur, quia Comes Vormondiæ Hibernus, elegans iuuenis, videbatur iam plus valere gratia apud Reginam quam Robertus: quem etiam Comes Suſſexiæ, cuius iam mentionem feci, prouocarat ad duellum, ex neſcio qua cauſſa. Præterea Dux Nortfolciæ, qui eſt præcipuæ auctoritatis in Anglia, grauiter eum obiurgarat, & obiecerat, quod non bonis artibus impediret ne Regina nuberet, ob quam rem Robertus ex aula diſceſſerat. Accedebat & hoc, quod Regina iuſſerat omnes concionatores inter concionandum

vti

vti veſte linea & pileo quadrato, & putabatur vlterius progreſſura, quæ omnia videbatur facere in gratiam Caroli Archiducis. Sed iam fama illa paullatim conticeſcit, & in Anglia ortæ ſunt diſputationes de linea veſte & adiaphoris, quæ eccleſias valde turbant, & Robertus reuocatus eſt in aulam a Regina, quæ eius abſentiam diutius ferre non potuit. Cum in reditu Reginam ſalutaret, pro more illius gentis osculatus eſt omnes nobiles mulieres quæ aderant Reginæ: diffidens autem beneuolentiæ Reginæ erga ſe, non eſt auſus eam oſculari vt antea erat ſolitus. id cum animaduertiſſet Regina, acceſſit ad eum & dixit ei ridens: annon videor tibi digna quæ etiam oſculo a te excipiar? & ſtatim eſt eum osculata. tam facile redintegratum eſt diſſidium ortum inter amantes. Quidam ex proceribus Hibernis mouit Reginæ Angliæ bellum in Hibernia. Quamuis is non habeat magnas vires, tamen Angli metuunt ne Scoti ei ferant auxilium & bellum illud alant. Chriſtophorus Marchio Badenſis, qui ſuperiore anno nauigauit in Angliam cum vxore Suecica, fecit Londini multum æris alieni. Cum vrgerent creditores ſolutionem, dixit eis, ſe profecturum in Germaniam & inde pecuniam allaturum, qua ipſis ſatisfieret. Abiit itaque in Germaniam, & poſt aliquot menſes rediit clam in Angliam mutato habitu, & conatus eſt inſciis creditoribus

bus vxorem & filium abducere. ſed neſcio quomodo ab ipſis deprehenſus coniectus eſt in carcerem, ex quo paullo poſt eſt liberatus, inuentis interceſſione Reginæ mercatoribus Germanis qui pro eo fideiuberent. Regina Scotiæ peperit filium decima nona Junii paullo ante octauam matutinam, ad quem in baptiſmo ſuſcipiendum inuitauit Regem Galliæ & Reginam Angliæ. Dux Joannes Fridericus & Grombachius nuper ſcripſerunt ad Regem Galliæ, & ei conantur perſuadere, ſe eius odio oppugnari. non enim eſſe dubium dicunt, quin ſit decretum ab Imperio, vrbem Metenſem armis repetere, etiamſi hoc anno id non fiat. hoc autem iam agi, vt ipſi opprimantur, ne Rex habeat quorum opera vtatur, ſi neceſſitate adigatur ad conſcribendum militem Germanicum. Inde autem apparere, Grombachium ideo oppugnari, quia habeat a Rege Galliæ ſtipendium, & ſit erga Galliam bene affectus, quoniam in comitiis nihil durius ſtatutum eſt aduerſus Ericum Ducem Brunſuicenſem, qui tamen eadem, & quidem maiora, commiſit quam Grombachius. Præterea aiunt, Imperatorem ſignificaſſe Alberto Roſembergio vt boni conſuleret iſtam diuturniorem captiuitatem: nihil enim ipſi eſſe periculi, ſed ipſum diutius detineri ſolum in gratiam Veſtræ Celſitudinis. Hæc quæ de Metenſi vrbe dicta ſunt nonnihil mouerunt

Regem

Digitized by Google

Regem, ita vt exiſtimem eam ob cauſſam Mareſchallum Vielleuilium breui eo profecturum. Cum talia audio, ego quantum poſſum ea refello, & ſcio plurimos mihi habere fidem, ac exiſtimo ipſos nihil impetraſſe a Rege niſi verba. . Forte Rex petiit per litteras a Duce Joanne Gulielmo, ne ſe huic negotio immiſceret. ſed puto non admodum ſerio id peti, ſed tantum, ne Rex videatur nullam habere curam ſuorum miniſtrorum. Dux Joannes Gulielmus ſignificauit Regi, ſe ſub finem Augusti venturum in has regiones eius ſalutandi cauſſa. Legati Regis Sueciæ ſunt adhuc in aula Lotharingica. Inſtituta eſt hic diſputatio inter duos Doctores theologiæ pontificios, & duos Concionatores ex noſtris eccleſiis. Proponunt ſibi examinandam confeſſionem fidei, quam noſtræ eccleſiæ exhibuerunt Regi ante quinquennium. Nulla hominum memoria fuit hic tanta caritas vini & frumenti quanta iam eſt. medimnus tritici, qui communiter hic ſolet vendi duobus florenis, vel duobus cum dimidio, proxima ſeptimana venditus eſt quindecim: ſed iam aliquid de pretio remittitur. vas autem vini, quod vſitate venditur decem aut duodecim florenis, iam venditur quadraginta aut quinquaginta. Curo compingi aliquos libros Veſtræ Celſitudini, vt ab ea eſt mihi mandatū: ſed non poterunt mitti ante mercatum Francofurtenſem, nam per

L infe-

inferiorem Germaniam iam mitti non poſſunt. Deus ſeruet incolumem Veſtram Celſitudinem & totam illuſtriſſimam veſtram familiam. Lutetiæ, XII Julii MDLXVI.

III.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Ante menſem expoſui Veſtræ Celſitudini cauſſas, quæ me mouent vt de reditu in patriam cogitem, dummodo bona venia Veſtræ Celſitudinis id mihi liceat. Jam autem huc acceſſi, vt de ea re ſententiam Veſtræ Celſitudinis audiam: a qua ſuppliciter peto, ne in hac parte a ſua vſitata erga me benignitate & clementia recedat. Quocunque terrarum peruenero, non ſolum paratus ero, quamdiu viuam, quidquid erit in me induſtriæ & ingenii in obſequia & ſeruitia Veſtræ Celſitudinis impendere, ſed etiam, ſi ſit opus, non dubitabo ipſam vitam in eam rem profundere: nam id a me ſuo iure exigunt ſumma virtus Veſtræ Celſitudinis & innumera ab ea collata in me beneficia. Si autem Deus volet me incolumem in patriam redire, ſpero meam operam forte maiori vſui fore ibi Veſtræ Celſitudini quam in his regionibus. Nam poſthac ſine dubio multa mouebuntur in aula Gallica, cum Rex iam adoleſcat, & Hiſpani illa ſtulta deuaſtatione inferioris Germaniæ, & abalienatione animorum ſubditorum a ſe, videantur tollere,

aut

aut ſaltem valde labefactare obicem & repagulum, quod hactenus Gallicam potentiam repreſſit. Itaque exiſtimo non fore inutile Veſtræ Celſitudini, habere aliquem qui interdum ſcribat quid rerum iis in locis geratur, & Veſtræ Celſitudinis exiſtimationem tueatur aduerſus maleuolorum calumnias: præſertim hoc tempore, quo nondum deflagrauit inuidia, quæ non potuit non comitari felices illos ſucceſſus, quos Deus ſua benignitate recens Veſtræ Celſitudinis virtuti conceſſit; repreſſis per eam illorum furoribus, qui in hoc toti incumbebant vt Germaniam funditus euerterent. Peto autem a Veſtra Celſitudine, ſi quando Deus propter peccata noſtra volet nobis adimi illam libertatem in religione, qua iam fruimur in Gallia, vt liceat mihi in his regionibus habere hoſpitium, ſicut hactenus habui. Et quoniam iam non facio iter per Germaniam ſine periculo, ſi non diſpliceret Veſtræ Celſitudini, mihi eſſet commodum Francofurtum proficiſci ad mercatum qui iam inſtat, vbi etiam poſſem aliqua de rebus externis intelligere, de quibus forte non eſſet inutile Veſtram Celſitudinem certiorem fieri. Ego toto pectore Deum omnipotentem oro, vt Veſtram Celſitudinem cum tota illuſtriſſima familia clementer tueatur aduerſus eorum inſidias, quibus patriæ ſalus & tranquillitas eſt exitioſa, & in ipſa conſeruet eum animum

erga eccleſiam Dei & rempublicam, quem hactenus cum ſumma voluptate in ipſa conſpeximus, & Germaniæ ſumus gratulati. IIX Auguſti MDLXVII.

IV.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Proceres inferioris Germaniæ illa ſua animi mollitie ſe & patriam in maximas calamitates & miſeram ſeruitutem conjecerunt. Hiſpani quid haberent animi minus diu diſſimularunt quam exiſtimabamus, traditis cuſtodiæ Egmondano, Hornenſi, conſule Antuerpienſi, & multis aliis ex nobilitate, ac etiam euocato Bruxellas filio Principis Auraicæ, qui Louanii operam litteris dabat. Affecerunt etiam ſupplicio duos filios Baronis a Battenburg, egregios iuuenes, & decem aut duodecim alios. Antequam id tentarent, præſidiis Hiſpanicis occuparunt Bruxellas, Gandauum, Anguianum, Liram & Dieſtam. Habent ad quadraginta ſigna peditum Germanicorum, diſpoſita per præſidia Antuerpiæ, & in aliis vrbibus, quibus non ſatis fidunt. Prudenter fecit Princeps Auraicus quod ipſis eum ad ſe vocantibus non eſt obſecutus. Mortui ſunt in Hiſpania Marchio Bergenſis & Dominus de Montigni, frater Comitis Hornenſis, qui ante annum eo miſſi erant legati ab Ordinibus inferioris Germaniæ. Hiſpani dicunt eos morbo interiiſſe, alii putant clam interfe-

ctos,

ctos, quod eſt magis veriſimile, cum vterque fuerit firma valetudine & florente adhuc ætate. Multi exiſtimant Albanum miſſurum Egmondanum & alios captiuos in Hiſpaniam: cum præſertim iam pene pro certo habeatur, Regem non venturum in inferiorem Germaniam. Rerum ciuilium cura in poſterum erit penes Parmenſem, Albanus autem præerit exercitibus. Interdixerunt ſub pœna capitis, ne quis ex Nobilitate exeat e Regis ditione, aut quidquam commercii cum exteris habeat. In Gallia omnia denuo incipiunt turbari. Ii qui noſtram religionem profitentur, quoniam vident ſe a Regina, & ab iis qui rerum potiuntur, incommodius tractari, ex quo Hiſpani Alpes tranſierunt, & militem externum paullatim in Galliam induci, vt tanquam vinculis conſtringantur, conſtituerunt ſuam libertatem armis tueri, & parabant ſe ad bellum, cum mercatores, qui hic fuerunt, ex Gallia diſcederent. Dabant tamen operam Conneſtabilis & quidam alii, vt hoc incendium reſtinguerent. Quid ab eo tempore acciderit ignoramus: nam varii rumores, qui de iis rebus hic ſunt ſparſi, videntur mihi incertiſſimi. Nemo iam fere dubitat quin Principes pontificii inter ſe fœdus inierint ad opprimendos eos qui a Romana eccleſia defecerunt: & omnes affirmant Imperatorem eo fœdere comprehendi, quidquid diſſimulet.

Quod quidem non libenter ſcribo; ſed tamen ad id me adigit fides qua ſum obſtrictus Veſtræ Celſitudini: quam puto recte facturam, ſi diligentius in eius actiones inquirat, nec eius verbis nimis fidat. Rex Galliæ inuitatus ad illud fœdus, diu recuſauit ſe coniungere aliis; ſed tamen plerique exiſtimant, eum ipſis eſſe obſecutum, poſtquam animaduertit res noſtrorum in inferiore Germania eſſe plane euerſas. Ego accepi litteras ex Gallia a viris fide dignis, in quibus ſcribitur, Palatinum Electorem & Ducem VVurtembergenſem, ſuo & quorundam aliorum principum nomine, egiſſe de fœdere cum Rege Galliæ. Quid ſit eorum legatis reſponſum, neſcio; ſed tamen cum in Conſilio regio de ea re ageretur, ſcio multos hortatos eſſe Regem ad tale fœdus, ſi modo Veſtra Celſitudo ſe ei adiungeret. An hæc omnia ſimulentur, ignoro. Si quid certius explorare potero, id vel per peculiarem tabellarium ad Veſtram Celſitudinem ſcribam: nam hæc mihi videntur eſſe maximi momenti. Ante duos menſes ſerio actum eſt in aula Gallica de Regis coniugio: & ſcio, multos ex iis, qui plurimum valent auctoritate, cenſuiſſe, Regem optime ſibi & regno conſulturum, ſi cum Veſtra Celſitudine contraheret affinitatem; & viſa eſt Regina eam ſententiam approbare. Forte etiam inter alias hæc eſt eius rei cauſſa, quod Ludouicus Vanegnus
eſt

eſt non ita dudum miſſus a Rege Hiſpaniæ ad Imperatorem, vt omnino tranſigeret de coniugio inter filium Regis Hiſpaniæ, & filiam primogenitam Imperatoris, & ageret de coniugio inter ſecundogenitam & Regem Portugalliæ. Hæc etiam ita ſcribo, vt putem omnino vera eſſe; quamuis Veſtra Celſitudo facile poterit huius rei veritatem ex aula Cæſarea reſciſcere. Iam celebrantur nuptiæ Principis Bauarici & Lotharingicæ in oppido Blancberg, eo quod peſtis ſæuiat Nancei & in locis vicinis. Nullus princeps peregrinus ad eas nuptias venit. Statim poſt nuptias Dux Lotharingiæ profectus eſt ad Regem Galliæ. Caſimirus filius Electoris Palatini putatur ducturus filiam Ducis VVurtembergenſis, apud quem iam eſt, & filius VVurtembergenſis filiam Palatini. Quæ aguntur de remouendo Archiepiſcopo Colonienſe puto Veſtræ Celſitudini non eſſe ignota. Multi putant Auguſtanum Cardinalem conari ſe clam intrudere in eum epiſcopatum per Pontificem Romanum & Regem Hiſpaniæ. Audio Erneſtum de Mandesloe, Juſtum a Zebitz, & Pflugium eſſe Lutetiæ. Si certo reſciſcam turbatam eſſe Galliam, Argentorati aut alicubi in vicinia ſubſiſtam, & inde ad Veſtram Celſitudinem ſcribam. Ego omnia fauſta & felicia Veſtræ Celſitudini precor ac toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, XXI Septembr. MDLXVII.

V.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Diſcedens Francofurto recta Lutetiam contendebam; ſed cum veniſſem in Lotharingiam, reſciui religionis cauſſa denuo ſumta eſſe arma in Gallia, & omnia ibi eſſe plena tumultibus. Non tamen propterea reſtiti, ſed ad ipſos Galliæ fines ſum progreſſus, & in oppido Barleduc per aliquot dies ſubſtiti, vt de iis turbis &earum cauſſis certius aliquid explorarem: & cum animaduerterem, me nec ſine manifeſto periculo poſſe progredi, nec ſi diutius ibi hærerem mihi poſtea fore tutum receptum, redii huc, exiſtimans me hinc commodius quam ex quoquam alio loco ad Veſtram Celſitudinem de huius triſtiſſimæ tragœdiæ cauſſis & euentibus ſcribere poſſe: quod nullo modo potuiſſem facere, ſi fuiſſem vlterius progreſſus. Cauſſa, quare ii qui ſunt noſtræ religionis arma ſumſerint, hæc dicitur eſſe. Certo ſciuerunt, Pontificem Romanum & reliquos Principes qui aduerſus veram religionem conſpirarunt, ea oppreſſa in inferiore Germania, conſtituiſſe iam tentare Galliam, & ad reliquas gentes poſtea deuenire. Conduxit itaque Rex Galliæ ad eam rem perficiendam viginti ſigna Heluetiorum: quos vbi vidit in Galliam perueniſſe, mandauit equitatui, quem perpetuis ſtipendiis alit, vt ad viceſimum diem huius menſis ad Lutetiam conueniret; quo tem-

Digitized by Google

tempore conſtituerat facere initium executionis aduerſus noſtros, & præcipuos ex iis comprehendere, & præſertim Condæum & Amiralium, reliquis autem decreuerat decreta concilii Tridentini proponere. Cum nomino Regem, intelligo eos qui præſunt gubernationi. nam ſæpe inſcio Rege decreuerunt quidquid libet, & audio Regem non interfuiſſe, quando factum eſt decretum de iſtis comprehendendis. Noſtri cum de eo decreto reſciuiſſent, & ſatis intelligerent, ſi regius equitatus coniungeretur Heluetiis, eſſe prorſus de ſe actum, cum præſertim Albanus non procul inde haberet inſtructas copias, iudicarunt ſatius eſſe aliquid ſubito tentare, & celeritate aduerſarios præuenire, quam ipſis ſe iugulandos per ignauiam tradere. Significarunt itaque Nobilitati ſuæ partis, vt quamprimum armata ad Lutetiam conueniret; quod eſt factum tanta alacritate, vt non procul a Lutetia, bidui aut tridui ſpatio, conuenerint ad quatuor aut quinque millia equitum, & parum abfuerit quin Regem & Heluetios excluſerint ab vrbe, in quam ſe trepide receperunt. Hæc autem acciderunt viceſimo die proximi menſis & ſequentibus. Cardinalis Lotharingicus, qui in aulam venerat vt dira iſta conſilia promoueret, vbi audiuit noſtros conuenire, relicto Rege fugit Rhemos, cum Guiſio adoleſcente, & inde Catalaunum: ſed parum abfuit quin in traiectu Matronæ

fluuii a triginta equitibus interciperetur, qui ſupellectilis eius bonam partem diripuerunt. Vbi vidit Rex ſe circumſeſſum Lutetiæ, & quotidie plures ex omnibus Galliæ partibus ad Condæum confluere, miſit ad ipſum & reliquos Cancellarium & Dominum du Mortier, petens vt ipſi indicarent, quam haberent tumultuandi cauſſam? reſponderunt noſtri: ſibi eſſe nota conſilia, quæ in ipſorum perniciem eſſent inſtituta, & præterea neminem ignorare, honeſtos omnes ex Nobilitate reiici a gubernatione, & quotidie excogitari noua vectigalia, quibus non ſolum populus ſed etiam Nobilitas opprimatur & in ſeruitutem redigatur, & tamen Regem perpetuo egere, nec diſſoluere æs alienum: de quibus quidem rebus Regem non accuſent, ſed eos qui ipſius nomine ad talia abutantur. Se vero ideo arma ſumſiſſe, vt ſuam ſalutem & libertatem ſibi conceſſam in religione tuerentur, & vt populum ab iſtis miſeriis liberarent. Rex, vt iſtis rebus occurreret, iuſſerat ſub initium Septembris denuo promulgari edictum de pace: quæ res fuit in cauſſa vt ſcriberetur Francofurtum ſub finem mercatus, compoſita eſſe initia tumultuum in Gallia, quod etiam ſcripſi ad Veſtram Celſitudinem. Vbi regii legati diſceſſerunt a Condæo, mandauit vt incenderentur molæ quæ vento aguntur, quæ plurimæ ſunt circa Lutetiam, & poſtea ſe ad S. Dionyſium recepit.

Qui-

Quidam dicunt, eum Lutetiæ ſuburbia occupaſſe; ſed adhuc de hoc nihil habemus quod audeamus affirmare, nec hic ſcimus quid ab eo tempore ſit geſtum ad Lutetiam. ſunt enim adeo infeſta itinera, vt nemo ſe iis committere audeat. Hoc certo ſcimus, tantam vim equitum & peditum ex omnibus Galliæ partibus in noſtrorum caſtra confluere, vt putem eos hoc tempore habere ad triginta millia hominum ad Lutetiam: nuſquam autem, quod ſciam, conueniunt Regis nomine copiæ in Gallia. Cum Rege incluſi dicuntur Lutetiæ mater & fratres, Cardinalis Borbonius, Montpenſerius, Conneſtabilis, & filii, Aumalius, Nemorſus, & plures alii proceres. Noſtri occuparunt omnia fere oppida quæ ſunt ad Sequanam & Matronam, infra & ſupra Lutetiam, & tam arcte vrbem obſident, vt ne ouum quidem in eam inuehi poſſit. Habent noſtri in ſua poteſtate plurima etiam alia oppida, vt Ambianum, Sanquintinum, Bononiam, Moſtrolium, Sueſſionem, & fere omnia Picardiæ oppida. In ſola Aurelia occupanda pugnatum eſt ita acriter, vt ad duo millia hominum in eo conflictu interiiſſe dicantur, noſtri tamen potiti ſunt victoria. Quid autem geſtum ſit in Normannia, Britannia, Aquitania, & vlterioribus regionibus, nondum eſt huc perſcriptum. Lugduni tantum, quod ſciamus, acceperunt noſtri cladem, culpa ſua oppreſſi a pontificiis.

L 6 Cum

Cum enim metuentes ſuis opibus maluiſſent ſe miſericordiæ pontificiorum committere, quam cum aliis conſilia ſua coniungere, oppreſſi ſunt a pontificiis & crudeliſſime ab ipſis tractati. Noſtri tamen occuparunt Matiſconem & Viennam, quæ ſunt proximæ vrbes ſupra & infra Lugdunum ad Ararim & Rhodanum fluuios, & obtinent omnes fere vrbes Delphinatꝰ, & eas quæ ſunt a Rhodano ad montes Pyrenæos. Aiunt etiam, eos occupaſſe Auenionem: ſed id nondum certo ſcimus. Vix putant conſcribi poſſe in Gallia copias quæ Regem liberent ab obſidione: quare omnium externorum opem & auxilium diligenter implorat. Habet quidem mandatum Rhingrauius de conſcribendis viginti ſignis peditum in hac vicinia, ſed audio eum deſtitui pecunia. Petit etiam Rex ab Heluetiis decem millia peditum, præter ea ſex millia quæ iam habet: ſed vix puto eum impetraturum. nam pagi qui ſunt noſtræ religionis reuocant ſuos qui ſunt in Gallia, & mandant omnibus qui ſunt in ipſorum ditione ſub pœna capitis, vt ſe inſtruant armis & aliis rebus ad bellum neceſſariis, & ſint parati quandocunque eorum opera volet vti magiſtratus. Non puto pagos pontificios auſuros hoc tempore tam multos ex ſuis emittere, cum præſertim videant in armis Tigurinos, Bernates, Baſileenſes, Schafhuſianos, Rhætos, & Valeſianos. Conuenerunt tamen Lucernæ

pagi

pagi pontificii, vt inter ſe deliberent an ſint mittendæ Regi eæ copiæ quas petit: ſed nondum ſcimus quid ſit ab ipſis decretum. De equitatu qui noſtris conſcribitur in Germania per Ducem Joannem Caſimirum, filium Electoris Palatini, puto Veſtram Celſitudinem certiora habere quam hic habeamus: quare non eſt neceſſe vt de hac re aliquid ſcribam. Valde metuo ne bellum protrahatur, & ſit difficile noſtris tantum numerum militum vno in loco alere. Sunt tamen in regione totius Galliæ copioſiſſima, & quæ abundat fluuiis, per quos commeatus ex longinquis locis ad ipſos commode deuehi poteſt. Rex ſub initium horum tumultuum mandauit Vielleuilio, vt ſe Metim reciperet. eo autem iam ablegato reſciuit, pleroſque ex præſidiariis militibus relicta vrbe profectos eſſe ad Condæum: quare ſcripſit ad eum, vt milites qui ſunt noſtræ religionis, & præcipue Oſancium præfectum vrbis, equitem Ordinis regii, exauctoraret, & eis pontificios ſufficeret. Litteræ interceptæ ſunt a noſtris antequam Vielleuilio redderentur, & miſſæ ad Oſancium: qui cum deprehendiſſet, quænam conſilia agitarentur, id ſignificauit iis qui ſunt noſtræ religionis; qui ſtatim arma corripuerunt, & parum abfuit quin pontificios inuaderent, quod tamen prohibuit Oſancius. Sacerdotes & præcipui ex pontificiis fugerunt ſtatim in arcem, ſed paullo poſt accepta fide ab

Oſancio redierunt in vrbem. Audimus Oſancium ſignificaſſe præfecto arcis, vt alterutram ex portis arcis ſibi deligeret, ſe enim non paſſurum vt vtramque liberam habeat, ne per arcem militem in vrbem inducat. aiunt, eum delegiſſe eam quæ ducit extra vrbem, Oſancium autem magnas moles lapidum obiicere ei quæ eſt ad vrbem. Vielleuilius acceſſerat ad ſex milliaria ab vrbe, ſed vbi reſciuit quid in vrbe accidiſſet, & præterea domus ſuæ præfectum, quem præmiſerat vt ei pararet hoſpitium, eſſe in itinere occiſum, deſperatis rebus retroceſſit, & Verdunum ſe recepit. Exierant ex vrbe Metenſi aliquot equites, qui, niſi properaſſet, eum forte intercepiſſent. petebant tamen præcipue, vt audio, quendam Epiſcopum, qui cum ipſo erat, & mittebatur a Rege in Germaniam, vt principibus Germanis huius belli cauſſas exponeret. nemo hactenus mihi eius nomen indicare potuit, ſed ſuſpicor eſſe Rhedonenſem, qui conuenit Veſtram Celſitudinem Auguſtæ. Accidit nuper circa ipſam vrbem Metenſem & alius triſtis caſus. Daniel Oeſiander Heluetius, qui per multos annos procurauit negotia illuſtriſſimi Principis Ducis Joannis Gulielmi in Gallia, diſceſſit ex aula ante tres ſeptimanas, habens, vt multi exiſtimant, mandatum ad ſuum Principem de conſcribendis tribus aut quatuor millibus equitum. Fecit iter per Metenſem vrbem: vbi

cum

cum inter cœnandum quædam minus caute dixiſſet, ſuſpicati ſunt aliqui id quod erat; quare poſtridie obſeruato eius itinere, cum ad aliquot milliaria eſſet progreſſus, eum inuaſerunt, & ſimul cum famulo interfecerunt non procul ab oppido Sanct Auaux, quod eſt Comitis Joannis Naſſauienſis. Ajunt ereptos Danieli quadringentos coronatos, quamuis cadauer eius non ſit repertum; ſed credo ducem itineris, quem Meti conduxerat, hæc retuliſſe, is enim euaſit. Fuit is Daniel homo ingenioſus & induſtrius, & cui vix parem inueniet Dux Joannes Gulielmus. Doleo eius vicem, quia cum eo mihi per aliquot annos interceſſerat amicitia. Quantum intellexi, in Lotharingia Mandesloe & eius ſocii fecerunt iter per eas regiones ſub initium Auguſti, & fuerunt decem & octo equites. Hæſerunt per triduum Nanceii lautiſſime accepti a Lotharingiæ Duce, qui etiam perſoluit quidquid inſumſerunt quamdiu fuerunt in ipſius ditione. Lutetiæ diuerterunt ad ferream crucem, quo ſolent communiter diuertere Germani; quod vbi reſciuerunt ciues, magno tumultu ad ipſorum hoſpitium acceſſerunt, & iuſſerunt hoſpitem eos a ſe dimittere: quod cum recuſaret facere, & diceret, ſe partem ſuarum ædium eis locaſſe, minitati ſunt ciues, ſe eius ædium fores muro occluſuros, & tunc parum abfuit quin in eas vi irrumperent. Mandesloe poſt-

poſtea profectus eſt ad Regem, vt de ea iniuria conquereretur, vt ipſe præ ſe ferebat; ſed puto eum ſperaſſe, ſe poſſe impetrare mandatum de conſcribendo milite, cum videret gliſcere hos tumultus, & hoc agit adhuc Lutetiæ cum ſuo Petro Claro. Cum ex aula reuerteretur Lutetiam, in quodam pago incidit in aliquot equites Principis Condæi, qui famulum eius vulnerarunt, ipſum autem captiuum abduxerunt in caſtra Condæi, vbi fuit detentus per quatriduum, & poſtea dimiſſus ſe recepit Lutetiam. Quidam hic mihi dixerunt, Jodocum a Zebitz & Petrum Clarum ante paucos dies non procul hinc eſſe conſpectos, & eſſe miſſos a Rege vt conſcribant militem: ſed tamen hactenus nihil certi de ea re explorare potui. ſi quid reſciuero, id diligentiſſime Veſtræ Celſitudini perſcribam. Hæc ſunt quæ hactenus de his tumultibus explorare potui. Nemo hac facit iter qui earum rerum peritiam habeat, quem non diligenter interrogem, & vt plures conuenire poſſim, hæreo in publico diuerſorio, ad quod plerumque ſolent diuertere exteri, & præſertim Galli. Conuenio etiam quotidie eos, ad quos de iis rebus ſcribitur, & ſcribo ad notos in vicinis vrbibus, vt me certiorem faciant de iis quæ audient: ſed plerumque nugacia ſcribuntur. Ego exiſtimo, hos tumultus ad totum orbem chriſtianum pertinere, & ſi noſtri non

ſta-

Digitized by Google

ſtatim perficiant quod tentarunt, proculdubio omnes pontificii principes conferent quidquid habent viriū ad noſtros opprimendos, & iis oppreſſis reliquos qui ſunt eiusdem religionis aggredientur, ſicut iam nemo fere ignorat id ipſis eſſe decretum. Quidquid ſit, Gallia plane periit, niſi diuinitus & ignoto nobis modo ſeruetur, ſicut noſtro etiam tempore accidit aliquoties. Noſtri non poſſunt in re vlla, præterquam in victoria, ſalutis ſpem reponere. nam ſi ſunt ſuperiores qui gubernarunt hactenus, omnes eos perduellionis condemnabunt. Sunt tamen tam multi numero, & in ipſa deſperatione animo tam præſenti, vt non poſſint plane opprimi, niſi Gallia ita afflicta, vt non poſſit par eſſe potentiæ Hiſpanicæ. Quidam exiſtimant, Germanicos principes recte facturos, ſi ſe conſtituant arbitros iſtarum controuerſiarum inter Regem & ſubditos, & propterea ſplendidam aliquam legationem in Galliam mittant. Veſtra Celſitudo de ea re cogitare poterit. Nihil ſcribo de equitibus, qui dicuntur conſcribi noſtris a Duce Joanne Caſimiro Electoris Palatini filio: nam non dubito, Veſtram Celſitudinem de iis certiora habere quam hic habeamus. Albanus reuocat milites ſubditos Regis Hiſpaniæ, quos ante tres menſes dimiſerat, vel vt ferat auxilium Regi, vel quia metuit, ſi res ad Lutetiam com-

componantur, ne hæc procella effundatur in inferiorem Germaniam. Metuunt hic aduentum Archiducis Ferdinandi in has regiones, & putant eum caſtigaturum Hagenoenſes ob mutatam religionem. viceſima ſexta huius menſis veniet Friburgum Brisgoiæ. Aiunt, in formula iuramenti, quam præſcribit iis qui ab ipſo feuda accipiunt, comprehendi approbationem Tridentini concilii. Cum hæc ſcriberem, venit ad me quidam meus amicus qui ante quinque dies fuit Cæſareæ Lotharii; vbi dicit ſe audiuiſſe a præfecto illius vrbis, Erneſtum a Mandesloe illuc pridie feciſſe iter, ita vt certo conſtet eum eſſe in Germania. eſt autem dignus fide qui hæc mihi dixit. Idem oſtendit mihi quid ſecundo petierint a Rege Condæus & ſocii, cum reſponſum Regis ad ſupplicem libellum ſtatim initio tumultus exhibitum nequaquam ipſis ſatisfaceret; ſed quoniam mihi non eſt conceſſum quæ oſtendebat deſcribere, Veſtræ Celſitudini ſummam eius ſignificabo, quantum memoriæ mandare potui, miſſurus poſtea exemplum ſcripti, quamprimum illud nanciſci potero.

Primum dicunt ſe coactos arma ſumere, ad tuendam ſuam ſalutem & libertatem in religione, quoniam ſcirent ſe calumniis & delationibus malorum hominum, & præcipue Guiſiorum, adductos in tantum odium apud Re-

Regem, vt agitarit conſilia de ipſis opprimendis, & ad eam rem externum militem conſcripſerit. Quare petunt, vt maiores ſuos imitetur, nec magis fidat externo militi quam ſuo, & eum quem iam habet conſcriptum dimittat, calumniatores autem, qui ita grauiter ipſorum famam & exiſtimationem læſerunt, meritis pœnis afficiat. Et quoniam edictum de pace, quo ipſis conceditur libertas in religione, reſtrictionibus & interpretationibus eſt ita coarctatum, vt fere nudum nomen libertatis in religione ſine effectu ſit ipſis reliquum, & eiuſmodi interpretationes præbent iis qui præſunt iudiicis occaſionem ipſos variis modis vexandi, petunt a Rege vt ad tollendas eiuſmodi cauſſas & occaſiones diſſidiorum & contentionum, concedat ipſis ſimpliciter libertatem in religione, ſine diſtinctione locorum aut perſonarum. Præterea ſignificant Regi, grauiter offendi Nobilitatem, quod videat honores & dignitates tribui indignis & plane imperitis rerum, & eos qui perpetuo adſunt Regi aut eſſe homines humili loco natos, aut nulla virtute & armorum vſu præditos, quod eſt indignum tanto Rege. Item, ſi aliqui noſtræ religionis a multis annis promoti ſunt ad dignitates, tamen earum exercitium eſt penes alios, penes ipſos autem ſolum nomen remanet. Quare petunt a Rege, vt vtatur in ſuarum rerum adminiſtratione potius opera & conſilio eo-

Digitized by Google

eorum, qui ipſas recte adminiſtrare poſſunt, quam talium hominum, & oſtendat ſe non minorem fidem habere iis qui ſunt noſtræ religionis, quam aliis. Poſtremo quoniam omnes Ordines regni, & præcipue populus, grauiter conqueruntur de oneribus & vectigalibus, quæ ad ipſos opprimendos quotidie excogitantur, & creſcunt maligna inuentione quorundam exterorum, & præſertim Italorum, qui ea ratione ad immenſas opes perueniunt, & more hirudinum populi ſanguinem exſugunt, nec quidquam ex ea pecunia conuertitur in regis aut regni vtilitatem, petunt a Rege, vt ipſos ab eiuſmodi oneribus liberet & priſtinæ libertati reſtituat. Vt autem hæc omnia commodius examinentur & conſtituantur, petunt a Rege, vt indicat conuentum Ordinum regni, cum neceſſitas id omnino exigere videatur, & conſtet, ob minus graues cauſſas ſæpe eſſe indictum.

Hæc habui, illuſtriſſime Princeps, quæ de iis rebus hoc tempore poſſem Veſtræ Celſitudini indicare. Conſtitui aliquandiu in hac vrbe hærere, vnde quandocunque dabitur occaſio ad Veſtram Celſitudinem ſcribam. Ego Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ omnia fauſta & felicia a Deo precor. Argentorati, XXII Octobris MDLXVII.

VI. Il-

Digitized by Google

VI.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Vbinam ſit hoc tempore Condæi exercitus, hic ignoramus. Aiunt, eum diſcedentem ex Lotharingia aſſecutum eſſe regium exercitum ad Altiſſiodorum Burgundiæ vrbem, & ex poſtremo agmine cecidiſſe ad tria millia hominum; ſed non audeo hæc pro certis affirmare. Cum faceret iter Condæus non procul a Comitatu Burgundiæ, qui eſt Regis Hiſpaniæ, ibi magno tumultu conſcriptus eſt miles ad firmanda oppida præſidiis, ſed alio ſe conuertit. Pontifex Romanus & omnes Italici principes, exceptis Venetis, dicuntur inter ſe iniiſſe fœdus ad opprimendos noſtros in Gallia. Pontifex habet ad decem millia hominum in Ciuitate Veteri, quæ eſt ad mare Thuſcum, quos claſſe in Galliam Narbonenſem mittere conſtituit. Reliquorum copiæ conueniunt Mediolani, inde per Alpes profecturæ Lugdunum. Copiæ Ducis Joannis Gulielmi, mille & quingenti equites Rhingrauii, & mille Baronis a Betſtein, recenſentur ad monaſterium Beaulieu, medio fere itinere inter Verdunum & Catalaunum vrbes. Aiunt, Ducem Joannem Gulielmum accepiſſe ad S. Maximinum (quod eſt monaſterium prope ditionem Bipontini Ducis) triginta millia thalerorum miſſa ex inferiore Germania; Lutetia autem ſunt miſſa ad Rhingrauium & ad

ad alterum quadraginta millia francorum. Mitto ad Veſtram Celſitudinem edicta recens facta a Rege, quæ ſatis oſtendunt, ſublatam eſſe omnem ſpem pacis. Renouatur actio de coniugio inter Regem Galliæ & Imperatoris filiam ſecundogenitam. Puto matrem Ducis Lotharingiæ habere aliquid mandati de ea re. Intra duas aut tres ſeptimanas ob iſtud negotium profecturus eſt ad Imperatorem Dominus de Lanzach, formator adoleſcentiæ Regis, & iam præmiſſus eſt quidam Sanſeuerinus, qui eius aduentum nunciet Imperatori. Qui in his regionibus videntur aliquid intelligere, metuunt iſtas nuptias Bauaricas, & verentur ne ibi aliquid agatur quod non ſit nuptiale, & quod redundet in bonorum perniciem. Deus iſta auertat. Dux Lotharingiæ ſignificat Bauarico per Comitem Paullum Salmenſem, qui nudius tertius hac fecit iter, ſe ob iſtos motus Gallicos non poſſe intereſſe nuptiis ſicut promiſerat. Eius ditio eſt maxima ex parte deuaſtata ab exercitibus qui per eam ducti ſunt. Hæc ciuitas videtur ſibi metuere: nam Senatus nouas munitiones inſtituit, & ſumit mutuo pecuniam a vicinis, & iam concionatores diligenter hortantur populum, vt oret pro periclitantibus in Gallia; quod non fecerunt ante paucas ſeptimanas. Aiunt, filium Regis Hiſpaniæ voluiſſe inſcio parente nauigare in inferiorem

Ger-

Digitized by Google

Germaniam, & propterea ab ipſo, cum id reſciuiſſet, traditum eſſe cuſtodiæ. Quid voluerit tentare in inferiore Germania non audiui: ſed hoc ſi eſt verum, poteſt eſſe initium magni alicuius mali; nam erit inter patrem & filium diffidentia, cuius rei habemus innumera exempla in hiſtoriis. Ante duos menſes hac fecit iter nobilis Hiſpanus vir grauis & multarum rerum peritus, & vt mihi videbatur fide dignus. Is dixit mihi, ſe certo ſcire, Principem Carolum vehementiſſime odiſſe Albanum. Narrabat, Albanum paullo antequam diſcederet ex Hiſpania, miſiſſe ad ipſum inſignes aliquos fructus in vaſe argenteo deaurato, qui cum fuiſſent ipſi oblati, arripuit vas, & ſimul cum fructibus per proximam feneſtram abiecit, nec quidquam locutus eſt. Cum id Albano eſſet renunciatum, fertur dixiſſe: ſufficiet mihi ad vitam Rex quem iam habeo. Exiſtimant in Italia nihil ſibi hoc anno imminere periculi a Turcis propter peſtem, quæ in maxima parte ditionis ipſorum, & præſertim Conſtantinopoli, crudeliſſime graſſatur. Veneti tamen huic rei non fidunt, & augent præſidia ſuarum vrbium maritimarum. Ego omnia fauſta & felicia a Deo precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Argentorati, XXII Februarii MDLXIIX.

VII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime:

ſime: Videtur Deus tandem oculo miſericordiæ ſuæ reſpexiſſe ad eos, qui in Gallia tantis malis oppreſſi erant, vt nihil ipſis dulcius eſſet lacrymis & gemitibus: vel potius, exaudiuiſſe clamorem innocentis ſanguinis pro ipſius nomine iniuſte & crudeliter effuſi. Flexit enim corda eorum qui præſunt gubernationi ad pacem, quam tam ardentibus votis toties expetitam miſeræ & deuaſtatæ patriæ noſtræ tandem conceſſerunt. Quibus autem conditionibus ſit noſtris conceſſa adhuc ignoramus: ſed non poteſt non eſſe potior bello, etiamſi in eo omnia feliciter ſucceſſiſſent. Aiunt equites Germanicos a neſcio quibus conductos eſſe ſtatim vbi factum eſt decretum de pace. Dux Joannes Gulielmus profectus eſt Lutetiam ad Regem, quem nondum ſalutauerat, & eo coniugem ſuam ex Metenſi vrbe euocauit. Dux Caſimirus nondum ad Regem acceſſit. Aiunt Electorem Palatinum, vbi ei de pace eſt ſignificatum, in ſignum lætitiæ curaſſe diſplodi quidquid eſt maiorum tormentorum in arce Heidelbergenſi. Cardinalis Lotharingicus vbi animaduertit omnium animos ad pacem inclinare, & vtcunque deflagrare incendium tanto conatu a ſe excitatum, voluit videri nauare aliquid operæ ad illud reſtinguendum. nam ſcripſit ad procuratores rerum ſuarum in epiſcopatu Metenſi, vt oppignoratis oppidis & pagis ipſius epiſcopatus

patus

Digitized by Google

patus, conficerent ei quadringenta millia francorum, quæ dicit ſe velle Regi numerare ad diſſoluenda ſtipendia militi Germanico. Elegans eſt hæc ſimulatio liberalitatis: nam ſcit, ſe non inuenturum quenquam qui ei pecuniam ea ratione credat: quod ſi inueniret, de alieno tamen & non de ſuo largiretur. Cum ante quinquennium mors Guiſii Galliæ pacem attuliſſet, Veſtra Celſitudo ſuis litteris hortata eſt Reginam ad eam conſtanter & bona fide ſeruandam, & detulit ipſi opem & auxilium aduerſus eos qui conarentur eam turbare. quæ res fuit ita grata bonis omnibus, vt eo die quo litteras Reginæ tradidi, Cancellarius inter cœnandum dixerit amicis: hodie accepimus litteras ex Germania, quæ nos ingenti lætitia affecerunt. Si Veſtra Celſitudo iam aliquid tale ad ipſam ſcriberet, procul dubio confirmaret ipſam, & redderet conſtantiorem aduerſus artes Hiſpanorum & Pontificis Romani; qui nullum non mouebunt lapidem vt denuo Galliæ tranquillitatem tanquam ſibi exitioſam turbent, & euertant quidquid hac pace recte conſtituetur. Fui Dillenburgi per duodecim & tredecim dies, vbi Princeps Orangiæ mihi & aliquot aliis curauit prolixe explicari cauſſas & initia tumultuum in inferiore Germania, & ſuam reſponſionem ad accuſationes Albani, quam puto ipſum breui miſſurum ad Veſtram Celſitudinem. Quan-

tum ex iis iudicare poſſum, nihil aliud peccauit, niſi quod noluit ſe præbere miniſtrum ad eam tyrannidem quam Hiſpani dudum ſunt conati conſtituere in inferiore Germania, & tandem conſtituerunt adeo ſæuam, vt ſi quis de re leuiſſima accuſetur, ſi ſtatim interficiatur id habeat pro beneficio: nemo enim hactenus ab ipſis eſt interfectus, qui non prius variis tormentis excarnificatus fuerit. Audiui a viris fide digniſſimis, Albanum habere vltra decem millia captiuorum, præter innumeros qui iam ſunt affecti ſupplicio, & quotidie plures coniicere in vincula. Reuocauit ex Gallia Comitem Arembergium cum ſuo equitatu, & mandauit ei, ſi pax fieret in Gallia, ut conaretur Italos, qui militarunt Regi Galliæ, perducere in inferiorem Germaniam. Pax Gallica videtur præbere pulchram occaſionem Belgis exulibus ad repetendam patriam, ſi ea ſcirent vti: quod adeo metuunt Antuerpiæ, vt multi mercatores vendant paruo pretio ſuas merces iis qui habent numeratam pecuniam. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, Calendis Aprilis MDLXIIX.

VIII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Jactatus variis tempeſtatibus, & pene naufragus, huc tandem tanquam in portum conceſſi, vnde pereuntis patriæ caſum gemam,

mam, in qua nec ſanis conſiliis eſt locus, nec quisquam bonus tutus eſſe poteſt. Mirabitur ſane, ſi ſapiet, poſteritas inſaniam regum noſtri temporis, quibus quamuis pontificis & totius colluuiei Romanæ peſſimæ artes & ſcelera non ſint incognita, tamen vt conſeruent ipſis ingentes illas opes, quibus in perniciem reipublicæ chriſtianæ & ad turpem luxum abutuntur, nihil eſt tam nefarium, nihil tam deteſtandum, quod non audeant. Rex Hiſpaniæ in ipſorum gratiam vnicum filium ſuſtulit, & in inferiore Germania crudeli ſupplicio affecit tot præſtantes viros, qui ſua virtute & ſuo ſanguine pepererant ei tot claras victorias, et eam auctoritatem qua iam in orbe chriſtiano pollet. Regem Galliæ, toties expertum quam ſibi & ſuo regno ſint pernicioſa ea conſilia quæ ab iſtis hominibus ipſi ſuggeruntur, denuo ita infatuarunt, vt iam atrociora quam vnquam antea meditetur aduerſus eos quos non ignorat ſibi eſſe fidiſſimos, & ideo tantum arma ſumere, quia nec ipſis nec ipſorum coniugibus & liberis vſquam tuto conſiſtere licet. Noſtra gens ſuperiore ætate numerata eſt inter eas gentes quibus ineſt aliquid humanitatis, ſed iam barbara feritate omnes ſuperat. quid enim magis barbarum quam innocentum & ſibi natura conjunctorum ita auide ſanguinem ſitire? Monui interdum viros alicuius auctoritatis, quantum

ſcelus eſſet cogitare de interficiendis iis qui noſtram religionem in Gallia profitentur, cum tam multi ſint numero, & ſint innocentiſſima pars populi. ſed ſtatim reſpondebant: nemini eſſe parcendum quando agitur de publica tranquillitate, & ſi ducenta aut trecenta millia hominum interficiantur, intra triginta annos poſſe plures renaſci. Cohorreſcebam ad tales voces: ſed hæc eſt humanitas quam didicimus & quotidie diſcimus ab Italis, quorum videntur deductæ ad nos coloniæ, tam multi ex iis omnes Galliæ angulos ſuis ſceleribus polluunt & contaminant. Etiamſi hæc & multo grauiores pœnas mereantur noſtra peccata, quia tamen video eos a quibus hæc patimur eſſe nobis ſceleratiores, ſpero Deum, qui æquis oculis facta hominum adſpicit, tandem ab iſtis repetiturum innocentem ſanguinem tanta copia ab ipſis crudeliter effuſum. Non dubito, illuſtriſſime Princeps, me iſtis meis querelis moleſtiam adferre Veſtræ Celſitudini, ſed quidquid ago aut inſtituo, hæc mihi etiam nolenti in animum recurrunt. De Gallicis motibus pauca audiui ex quo ad Veſtram Celſitudinem Francofurto ſcripſi; quam puto non ignorare, Regem Galliæ conſcribere militem in Germania, per Philibertum Marchionem Badenſem, Philippum filium Landgrauii ex ſecunda coniuge, Comitem a VVeſterburg, Rhingrauios fratres, & Dominum de Baſſompi-

er-

erre Lotharingum. Quidam putant Burchardo Comiti Barbienſi & Lucelburgio data etiam eſſe a Rege mandata de ea re, ſed id negat Barbienſis, & puto ad neutrum miſſam eſſe pecuniam. Scriptum eſt huc, Condæum occupaſſe vrbem Lemouicum & plures alias in Pictonibus. Moriantius obſidet Toloſam: oportet enim habere firmas copias, cum Toloſa ſit maxima vrbium Gallicarum poſt Lutetiam. Qui veniunt ex inferiore Germania affirmant, Condæum iniiſſe fœdus cum Regina Angliæ, in quo promiſerit, ſe non tranſacturum cum aduerſariis ſine ipſius conſenſu, & daturum operam vt ei reddatur Caletum, numerata Regi ea pecunia, de qua inter ipſos conuenit cum pax fieret, iam eſt decennium: & præterea tradidiſſe Anglis Rochellam vrbem. Quamuis id multi aſſeuerent, ego plane falſum eſſe iudico: nam ſi talia pacta cum Anglis iniret Condæus, abalienaret a ſe voluntates multorum ex iis qui ipſum ſequuntur. Præterea cum Rochellam conſtituerit tanquam arcem belli, in quam ipſe & reliqui proceres deponant vxores & liberos, nemo mihi perſuadebit, ipſi vnquam veniſſe in mentem vt eam tradat Anglis. Fama eſt etiam, ipſum conſtituiſſe coniungere copias cum Principe Orangio: ſed nemo peritus locorum in quibus habent ſuas copias id credet, cum alter ab altero abſit plus quam centum & viginti milliaribus Germanicis, & inter-

interjecti ſint multi maximi fluuii. Poſſent ſe forte coniungere cum Orangio ii ex Gallis, quos antea ſcripſi ad Veſtram Celſitudinem conuenturos non procul a finibus inferioris Germaniæ; inter quos ſunt aliquot præſtantes duces militares, & præſertim Domini de Jenly, de Bouchauanes, & de Moy, cum quibus eſt etiam Cardinalis Caſtillionæus. Viceſima quarta die Septembris Strallen conſul Antuerpienſis, & VVachſeld ſecretarius Egmondani, truncati ſunt capite in oppido Viteuord, quod eſt inter Bruxellas & Mechliniam. Inter eos qui capti fuerunt ab Albano hi duo maxime valuerunt ingenio: quare fuerunt per annum aſſeruati & ſæpius crudeliſſime torti, antequam extremo ſupplicio afficerentur. Quantum audimus ex iis qui veniunt ex caſtris Orangii, is nondum traiecit Moſam, ſed, vt aiunt, ſperat ſe impetraturum tranſitum a Leodienſibus. Leodii autem diſſentiunt populus & ſacerdotes: nam hi ſunt addictiores Albano, populus autem fauet Orangio. Sed credo certiora de iis rebus quotidie ſcribi ad Veſtram Celſitudinem. Orangius occupauit Limburgum oppidum & arcem Flackenburg, quæ ſunt ditionis Burgundicæ. Mittebat Albanus ſubſidio præſidiariis militibus arcis Falckenburg duas cohortes Hiſpanorum, quæ inciderunt in Orangii milites & ſunt ab ipſis profligatæ, facta etiam velitatione inter Germa-
nicos

nicos & Hiſpanicos equites non procul ab oppido Maſtricht, Hiſpani ceſſerunt loco, quadraginta aut quinquaginta ex ſuis amiſſis, pauciſſimis ex Germanis interfectis. Hæc omnia non ſunt admodum magni momenti. Summa rerum conſiſtit in tranſitu Moſæ, quem niſi tranſierit Orangius, non poterit diu retinere quæ iam occupauit: ſi vero Leodii ipſum tranſierit, patebunt ei pulcherrimi & cultiſſimi campi Louanium vsque, quod a Leodio abeſt tantum duodecim milliaribus. Ego omnia fauſta & felicia a Deo precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Lipſiæ, XII Octobr. M D LXIIX.

IX.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Scio ex viro fide digno, ſed cui iureiurando promiſi me nomen eius non proditurum, renouari conſpirationem quæ ante obſidionem Gothanam inſtituta erat a quibusdam ex Nobilitate aduerſus Principes. Conſpirantium inſtitutum eſt, (vt ipſi dicunt) redigere Imperium Germanicum ad formam regni Gallici, hoc eſt, vt Principes in Nobilitatem nihil habeant imperii, ſed ſolus Imperator vtrisque æqualiter imperet. Dicunt, in ea conſpiratione eſſe iam vltra quingentos, & ſperari intra non longum tempus fore non pauciores duobus millibus: nam ea res iam ſerio agitur, & qui eam tractant crebro com-

meant a Rheno in Saxoniam & ex Saxonia ad Rhenum, & conqueruntur deeſſe principem, qui ſe ipſis ducem præbeat, & accuſant ſuam ignauiam, quod paſſi ſint Ducem Joannem Fridericum opprimi. Præcipui inter ipſos ambiunt ſtipendia Regis Galliæ: credo vt poſſint nomen eius prætexere ſuis cœptis, ſi quando arma corripiant. Audio tamen eos non tam cito fore paratos, & conſtituiſſe in proximis Imperii comitiis conqueri de iniuriis quæ ipſis fiunt a Principibus, a quibus dicunt ſuam libertatem opprimi: quod ſi faciant, facilius erit ipſorum conſilia intelligere & diſſipare. Exiſtimaui, eſſe mei officii de ea re Veſtram Celſitudinem quamprimum certiorem facere, quod ſi ab iſtis reſciretur: plane de mea vita eſſet actum. Quare peto a Veſtra Celſitudine ne patiatur has meas litteras euulgari: nam ſcio multos mihi ſuccenſere, eo quod reſciuerint quæ de ipſis interdum ad Veſtram Celſitudinem ſcripſi. Quoniam ab vno aut altero menſe aliquid notitiæ contraxi cum Domino Lazaro Schuendio, ita vt interdum ad me ſcribat, deliberaui mecum an hoc ipſi deberem indicare; ſed iudicaui ſatius eſſe in ea re Veſtræ Celſitudinis voluntatem ſequi, quam dignabitur mihi, ſi ita videatur, ſignificare. Si quid præterea de ea re reſciuero, id ſtatim ad Veſtram Celſitudinem perſcribam. Hæc eadem quæ iam ſcribo

bo, ſcripſeram ante menſem ad Veſtram Celſitudinem, & cuidam meo amico huc venienti dederam meas litteras Argentorati, ita tamen vt peterem ab eo, ne cuiquam litteras meas traderet, præterquam Nicolao Bromio, quem cum non reperiſſet, eas vsque ad hoc tempus aſſeruauit & hodie mihi reddidit. Spem omnem pacis in Gallia ſublatam eſſe certiſſimum eſt. nam Heluetii conducti a Rege ſuperiore ſeptimana cœperunt progredi in Galliam. Miror, quam ob cauſſam qui præſunt gubernationi curauerint per totum orbem chriſtianum diſſeminari, eam eſſe factam: nam omnes prouinciarum præfecti plurimis dixerunt, ſe de ea re litteras a Rege accepiſſe. idem etiam ad plurimos ſcripſit Dux Lotharingiæ. Qui veniunt ex Lotharingia putant Regem breui eo venturum ad excipiendam ſponſam, & dicunt, iam fieri a Duce ad eam rem magnos apparatus. Si Imperator reſpondiſſet regiis miniſtris, vt fama fuit ipſum reſpondiſſe, ſe nôn dimiſſurum filiam a ſe durante bello, forte ea res momenti aliquid ad pacem attuliſſet. Lutetiæ & Aureliæ fiunt magni apparatus ad obſidionem Charitatis ad Ligerim, & iam Lutetiæ eductæ ſunt tredecim maiores bombardæ, quæ eo ducuntur. Heluetii recens conducti a Rege & copiæ quas habuit in Pictonibus & Santonibus, diuerſis itineribus eo contendunt. Scio etiam

Amiralium propius accedere cum ſuis copiis: ita vt tota belli moles videatur eo transferenda. Equites Germanici dimiſſi a Rege iam redierunt in Germaniam. Cum huc venirem Argentorato, in itinere incidi in plurimos, qui quidem equis & armis peſſime erant inſtructi, ſed dicebantur abundare pecunia. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, XV Martii MDLXX.

X.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Scripſi nuper ad Dominum D. Cracouium, me hic fruſtra & inutiliter tempus terere, nec videre in qua re hic Veſtræ Celſitudini vſui eſſe poſſim; & propterea ſignificabam, mihi videri conſultius vt Argentoratum, vel in aliquem alium locum Galliæ & Belgio vicinum proficiſcerer, ac inde ad Veſtram Celſitudinem ſcriberem, quæ de motibus earum regionum & pontificiorum conſiliis reſciſcere poſſem. Verum is mihi reſcripſit, Veſtram Celſitudinem eſſe admodum ſollicitam de euentu belli quod Hiſpani & Veneti gerunt aduerſus Turcas; & propterea conſultius ipſis videri, vt in locum aliquem vicinum Italiæ me conferam, & ipſi diligenter perſcribam ea quæ de partis vtriusque victoriis, cladibus, apparatibus, & totius belli pro-

progreſſu explorare potero, cum ſint incertiſſima quæ de eo bello ſunt hactenus huc perſcripta. Vtinam principes chriſtiani intelligerent magnitudinem periculorum quæ ipſis a Turcis imminent, & in iis propulſandis rectioribus conſiliis vterentur, nec ſua acerbitate cogerent ſuos ſubditos, quos in gratiam pontificis Romani atrociſſimis iniuriis afficiunt, ad vitam & fortunas defendendas arma corripere. ita enim fit, vt domeſticis ſeditionibus atterantur & abſumantur vires, quæ Turcicæ violentiæ opponi poterant, & ſubditorum animi ita abalienentur a ſuis principibus, vt non valde metuant ne in alterius domini poteſtatem deueniant, & propterea patriam, quando oppugnatur, minus fortiter & conſtanter defendant. Si forte Turcæ occupauerint oppidum aliquod maritimum Apuliæ, vel veteris Calabriæ, & validas copias eo inuexerint, quod ipſis non erit difficile ob breuem traiectum ex Macedonia & Epiro, ego non dubito quin plerique incolæ regni Neapolitani pertæſi tyrannidis Hiſpanicæ, quæ eſt acerbiſſima, ad ipſos deficiant. Nam etiamſi videant, non eſſe mitiora a Turcis ſperanda; animis tamen omnium qui premuntur tyrannide hoc eſt inſitum, vt ſi ſe tyrannidem excutere & libertatem recuperare non poſſe videant, cupiant ſaltem mutare tyrannos, cum aliquid ſolatii ipſis afferat ruina & interitus

Digitized by Google

eorum a quibus affecti ſunt iniuriis, & ſemper melius de futuris ſperent. Si ſoli Italiæ periculum a Turcis immineret, eius vicem forte minus doleremus, cum ſit fons & officina omnium ſceleratorum conſiliorum quibus orbis chriſtianus concutitur, quæ ſtolidis regibus & principibus ſuggerunt pontifex Romanus & eius aſſeclæ, vt interea dum in ſeipſis euertendis ſunt occupati, ipſi per otium ſuo turpi luxui indulgeant, & opibus per ſcelus & nefas acquiſitis in bonorum perniciem abutantur, de poſteritate, quam nullam habent, minime ſolliciti: verum ſi opes & reliquæ commoditates Italiæ ad Turcicam potentiam accederent, nec Germaniæ, nec Galliæ, nec Hiſpaniæ vires ad eam diu ſuſtinendam ſufficerent. Sed me longius abripit odium pontificis & ſceleratæ illius colluuiei Romanæ, & dolor ex recente memoria calamitatum patriæ, quarum iſtos fuiſſe auctores non dubito. Quare vt ad inſtitutum redeam, vix puto eſſe locum in Germania, vbi quid certi de rebus Turcicis haberi poſſit, præter Viennam. nam ob concurſum variarum gentium multa ibi haud dubie intelligi poſſent, quæ tamen longe certius Venetiis cognoſci poſſent & tanquam oculis conſpici; in aliis vero oppidis ea tantum audiuntur, quæ incerta fama eo perferuntur. Itaque ſi Veſtra Celſitudo velit vt aut Venetias aut Viennam

aut

aut in quemcunque alium locum me conferam, peto vt mihi ſignificare dignetur: ego enim Veſtræ Celſitudinis mandatis ſtatim obtemperabo, nec vllum laborem refugiam aut periculum reformidabo, vt perficiam ne Veſtra Celſitudo exiſtimet ſibi prorſus perire ea beneficia quæ plurima in me quotidie liberaliſſime confert. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Dresdæ, VII Decembris MDLXXII.

XI.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Significauit mihi nuper Dominus Doctor Cracouius, Veſtram Celſitudinem velle, vt vbi nonnihil remiſerint frigora, Viennam proficiſcar, vt apparatus quos Turcæ faciunt ad bellum quod cum Italis & Hiſpanis gerunt, certius cognoſcere poſſim, & de iis ac toto illius belli ſucceſſu comperta ad Veſtram Celſitudinem ſcribere. Quoniam vero vix quidquam certi de iis rebus ſciri poteſ[illegible]e veris initium, cum præcipui apparatus ſint nauales, exiſtimaui me non inutilem operam poſſe Veſtræ Celſitudini nauare, ſi interea excurrerem ad Rhenum, & inde certa & explorata de rebus Gallicis & Belgicis ſcriberem. Quæ enim hactenus habuimus, & præſertim de rebus Gallicis, fuerunt

incertiſſima: quod quidem non miror, cum ii qui in aula Gallica rerum ſummæ præſunt, non ſolum veritatem eorum quæ geruntur occultent, ſed etiam quæ falſa eſſe ſciunt ſcribant. Id apparet ex litteris quas Regina mater ſcripſit ad Caſparem Schonbergium paullo antequam ex his regionibus diſcederet. Scribebat enim, Rochellanos ſeſe dediſſe Domino de Biron, cui Rex mandauerat, vt vrbem ſub imperium ſuum reduceret, & militare præſidium in eam introduceret. Id autem falſum eſſe nemo eſt qui ignoret, & ex reſponſo eorum qui ſunt in vrbe ad Regis mandata apparet, de deditione ipſos minime cogitare. Ego ſane exiſtimo, eorum qui puriorem religionem in Gallia profitentur reliquias delere Regi non fore tam facile, quam perſuaſus eſt ab iis qui iſtorum ſceleratorum conſiliorum fuerunt ipſi auctores.] Non ſolum enim Rochellam ſed & plures alias vrbes præſidio militari obtinent, ad quas ſpero ſub initium veris fore magnum concurſum militum. Inde apparet, res Regis non eſſe optimo loco, quod cum ſumma difficultate & penuria rei pecuniariæ laboret, conducit tamen militem Germanicum & Helueticum, in quem ſumtus per hyemem cogetur facere, & tamen non erit ei magno vſui. De iis rebus omnibus ſpero me certi aliquid habere poſſe a Domino Schvvendio, a Barone Hoſſonui-

lio

lio Lotharingo, & ab iis qui ad mercatum Francofurdienſem ex Gallia & Lotharingia venient. quæ autem explorare potero, Francofurto ad Veſtram Celſitudinem ſcribam, & inde Viennam proficiſcar. Quoniam autem præter labores & pericula, quæ in illis longis itineribus ſunt ſubeunda, neceſſe eſt facere ſumtus magnos, ob rerum omnium ſummam caritatem, peto ab illuſtriſſima Veſtra Celſitudine, vt eius rei rationem habere dignetur, & me viatico inſtruere. Ego hunc fauſtum & felicem annum precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Pridie Cal. Januarii MDLXXIII.

XII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Hoc vnicum non triſte ex his regionibus ſcribi poteſt, quod Imperator a multo tempore vix vſus fuerit commodiore valetudine quam iam vtatur: nam proximis diebus fuit alacri vultu, & fere quotidie animi cauſſa extra vrbem eſt exſpatiatus. Jam vero vix fieri poteſt, quin quæ in Polonia acciderunt, magnum ei dolorem attulerint, quamuis id diſſimulet. Cum enim tot neceſſitudinibus coniunctus eſſet Regi demortuo, illud ſane regnum quodammodo ipſi videbatur deberi: cum præſertim a multis annis eius adipiſcendi ſpes maxima ab ipſo Rege,

ge,& a præcipuis ex procerum numero, ipſi facta eſſet, & iam præreptum ſit ab eo a quo minime metuendum videbatur; cum a ducentis fere annis parum commercii Gallis cum Polonis fuerit. Sed hæc facta ſunt artibus Pontificis Romani, qui gratiam referre voluit pro præclaro illo Pariſienſi facinore, quo Galli ſuam erga ipſum obſeruantiam abunde ſunt teſtati. Imperatoris etiam Turcici minæ admixtæ precibus non parum profuerunt Gallo. Hic de rebus Turcicis pauca habentur. Dubitatur adhuc an claſſis Turcica ſit hoc anno aliquid tentatura aduerſus Hiſpanos: quamuis ſuſpicentur, eam oppugnaturam Gulatam, quæ eſt munitio Hiſpanorum vicina Tuneto, & non procul a ruinis veteris Carthaginis, quam Carolus Imperator eripuit Ariadeno Barbaroſſæ ſimul cum Tuneto, iam ſunt fere quadraginta anni. Tunetum autem ante triennium denuo redactum eſt in Turcarum poteſtatem per Occhialim piratam Calabrum, qui iam eſt præfectus claſſis Turcicæ. Hic execrantur Venetorum perfidiam, eo quod tam impudenter diſceſſerint a fœdere, quod præcipue ictum erat ad ipſorum defenſionem. Satis oſtendunt, ſe metuere ſibi ab Hiſpanis, quos ea re grauiſſime offenderunt: nam nouis præſidiis recens munierunt Bergomum, Brixiam, Cremam, & alia ſua oppida vicina Ducatui Mediolanenſi. Affirmatur hic, mortuum

tuum eſſe Regem Perſarum, ſenem manſuetum, cui ſucceſſit filius iuuenis ferociſſimus, quem credunt ſtatim moturum bellum Turcis in Meſopotamia & Armenia. Sed vereor ne inanes eas ſpes nobis fingamus. nam quantumuis ſit ferox Perſa, libenter colet pacem cum Turcis primo ſaltem anno, vt res ſuas conſtituat & conſtabiliat; quod videmus feciſſe hunc Imperatorem Turcicum, qui mortuo parente libenter conceſſit inducias huic noſtro Imperatori, a quo tamen ipſi minus erat metuendum quam ſit Perſis a Turcis. Dominus Dauid Vngnadius, quem Imperator mittit Conſtantinopolim, vt ibi ad triennium maneat, iam parat ſe ad iter, & ſperat ſe intra quatuor aut quinque dies hinc diſceſſurum. Quæ hic de rebus Gallicis habemus puto aliunde perſcribi ad Veſtram Celſitudinem. Rupella adhuc obſidetur. Regii crebris tormentorum ictibus bonam partem propugnaculorum dejecerunt, ita vt obſeſſis iam parum intereſſe ſpei videatur, qui tamen nihilominus fortiter ſe defendunt. Ante aliquot ſeptimanas regii conati ſunt vi in vrbem irrumpere; multi autem ex præcipua nobilitate, vt adderent animum militibus, ſe ipſis admiſcuerunt. ſed tamen id parum profuit: nam repulſi ſunt cum magna ſtrage, nec pauci ex nobilitate in eo conflictu perierunt, inter quos præcipue nominatur Carolomontius, qui

qui duxerat in vxorem viduam poſtremi Ducis Niuernenſis ex Cliuenſi familia. is autem qui iam eſt Dux Niuernenſis, & Marchio du Maine Guiſii frater, fuerunt vulnerati, hic in femore, alter in brachio. Decimo nono die ſuperioris menſis Comes Montgomerius venit in conſpectum Rochellæ, cum claſſe quatuor & quinquaginta nauium, & conatus eſt in portum vrbis penetrare, vt obſeſſis opem ferret; ſed repulſus eſt maiorum tormentorum globis emiſſis ex propugnaculo, quod regii ad ipſum portum extruxerunt, vt eius vſum obſeſſis adimerent, & ex triremibus, quæ ad illud propugnaculum ſtationem ſuam habent. Eo ſtatim accurrit Andegauenſis cum maxima parte exercitus, & plura tormenta in illud propugnaculum conuehi curauit. Sub noctem recepit ſe Montgomerius, & longius ab vrbe ſtetit in anchoris. Poſtridie ante lucem conatus eſt denuo in portum irrumpere, ſed infelici ſucceſſu: nam regii iam plura tormenta in littus conuexerant, & multæ naues ex vicinis inſulis ad ferendum ipſis auxilium confluxerant: quare cum Montgomerius omnes ſuos conatus irritos eſſe animaduerteret, & ſe fruſtra & cum periculo ibi terere tempus, nauigauit in altum, nec hic ſcimus quonam peruenerit. Interea autem dum in claſſem Montgomerii intentus erat Andegauenſis, Rupellenſes facta eru-

Digitized by Google

eruptione eius caſtra inuaſerunt, vbi eſt acriter pugnatum. nam Philippus Strozza cuſtodiæ caſtrorum relictus erat, cui cum plures ſubinde milites Andegauenſis ſubmitteret, Rupellenſes ſe tandem in vrbem receperunt, cæſis ab vtraque parte aliquot militibus. Regii iam ab initio hyemis obſederunt Sancerram oppidum, quod eſt in Biturigibus non procul a Ligeri fluuio, quod aliquoties vi expugnare tentarunt, ſed ſemper repulſi ſunt cum magna cæde: quare iam longius receſſerunt ab ipſo oppido, & dant operam ne quid commeatus in illud inuehatur. Danuili9 Mareſchallus obſedit etiam per hyemem oppidum Sammieure in Gallia Narbonenſi: in qua obſidione aiunt eum amiſiſſe magnum numerum militum, & inter reliquos amiſit Dominum de Candales ex Foſſeia illuſtri familia, cuius vxor eſt Danuilii ſoror. Aiunt hic, Danuilium tandem potitum eſſe oppido per deditionem, ita tamen vt milites dimiſſi ſint incolumes cum ſuis rebus omnibus. His diebus ſparſa eſt hic fama, Andegauenſem letaliter vulneratum eſſe a Duce Longueuillano, quem proditorem appellauerat & pugione percuſſerat. Id quidem ſcriptum eſt huc Antuerpia & Norimberga; ſed tamen vix credo eſſe verum. Prima die huius menſis publicata eſt Antuerpiæ pax inter Anglos & Belgas, & ſignificatum eſt, inter ipſos fore poſthac libera

com-

commercia. Audio Fliſſingenſes permittere, vt quatuor naues Anglicæ nauigent ſimul Antuerpiam, ita tamen vt prius Fliſſingam appellant, & ibi deponant tormenta, puluerem bombardicum, & reliqua quæ ad bellum pertinent. Vereor ne ea pax obſit rationibus Principis Orangii. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Viennæ, XXVII Maji MDLXXIII.

XIII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Nemo eſt fere qui iam non ſit perſuaſus claſſem Hiſpanicam nihil hoc anno tentaturam. Simulant tamen adhuc Hiſpani, ſe aliquid velle gerere: nam Joannes ab Auſtria dicitur profectus Panormum cum quinquaginta triremibus. eo conueniet tota claſſis, & inde nauigabit in Africam. Aiunt, milites non eſſe ſatis obſequentes Joanni ab Auſtria, & dicere, ſe non diſceſſuros ex Sicilia niſi acceptis ſtipendiis quæ ipſis debentur. Corraſit vndecunque potuit pecuniam, ſed tamen magnam ſummam conficere non potuit, etiamſi Neapoli mercatoribus promiſerit tredecim annua pro centum. Scribunt tamen, recens appuliſſe Genuam nauim, quæ aduexit ex Hiſpania ducenta millia coronatorum. Præterea dicunt aduenisse partem claſſis

Digitized by Google

claſsis Indicæ cum quindecies centenis millibus coronatorum. Sed eſt valde vſitatum Hiſpanis, cum maxime egent pecunia, famam diſſeminare de auro ex Indiis aduecto. Claſſis Turcica rurſus nauigauit verſus Calabriam, & dicitur conſpecta non procul ab Hydrunte. Sunt qui ratiocinantur ex tempeſtatibus quæ tunc obortæ ſunt, eam coactam fuiſſe redire eo vnde ſoluerat. Putant hoc anno redituram in mare Ægeum, ſed hybernaturam in ea parte Peloponneſi quæ eſt ad mare Jonium, vt proximo anno ſit maturius parata ad infeſtandam Italiam. Ob eam rem Turcæ repurgauerunt portum Methonis, qui eſt amplisſimus, & eo conuexerunt magnam vim commeatus omnis generis. Si ibi per hyemem maneant, Joannes ab Auſtria non audebit militem ſuum dimittere, ſed cogetur eum diſtribuere per Apuliam, Calabriam, & Siciliam, vt ſit illis regionibus præſidio. Albanus eſt Amſterdami, vbi inſtruxit claſſem octodecim nauium, vt confligat cum Gueuſiis, qui ad fauces portus extruxerunt munitionem, in ipſo mari merſis aliquot nauigiis, ad quam habent ſtationem ſuarum nauium, quibꝰ impediunt ne qua nauis Amſterdamum ingrediatur vel inde egrediatur. inde accidit, vt vrbs laboret penuria omnium rerum ad victum neceſſariarum. Ante aliquot dies vtraque claſsis fuit parata ad pugnam, cuius euentum Albanus

nus exſpectabat in vrbe. Inde profecturus eſt Antuerpiam, quo indictus eſt conuentus omnium Ordinum inferioris Germaniæ, cui etiam interferit Dux de Medina Celi. Alckmariæ obſidio hactenus non ſatis feliciter ceſſit Hiſpanis ob crebras pluuias. ſi ibi fuerunt eædem tempeſtates quæ hic ſuperioribus diebus, Hiſpani cogentur ſoluere obſidionem: nam regiones illæ ſunt adeo humiles, vt ſi paullo largius pluat, prorſus inundentur: hic autem ab aliquot diebus habuimus perpetuas pluuias. Qui veniunt ex illis locis, dicunt, multos milites, & præſertim Hiſpanos, clam ſubducere ſe ex caſtris & aufugere. Albanus autem mandauit omnium vrbium præfectis, vt eos obſeruent, & quoſcunque comprehendent ſtatim afficiant ſupplicio. Multi ſcribunt, Commendatorem maiorem, qui iam præeſt Mediolano, venturum in inferiorem Germaniam, & Albanum ac Medinam Celi reuerſuros in Hiſpaniam: quod non facile credo. Hic Commendator habuit Mediolani grauem controuerſiam cum Cardinale Borromæo, de quibusdam rebus quas Cardinalis dicebat ad ſuam iurisdictionem pertinere, cum ſit Archiepiſcopus Mediolanenſis. Cum contendendo eo eſſent progreſſi, vt Commendatorem Cardinalis excommunicaret, Commendator conuerſus ad vim, non ſolum occupauit res de quibus erat controuerſia, ſed etiam

etiam Cardinali eripuit arces & prædia quæ ipſi ex hæreditate paterna obuenerant. Multi putant, hæc omnia aſtute ſimulari, & Commendatorem ea ratione velle perſuadere hominibus, ſe eſſe minus addictum ſuperſtitioni pontificiæ, vt ſi poſtea veniat in inferiorem Germaniam, plus ei fidei habeant Gueuſii, & ita poſſit eos facilius decipere. Diu eſt diſceptatum Lutetiæ inter Andegauenſem & legatos Polonicos ſuper iis quæ Polonis promiſit Epiſcopus Valentinus, & præſertim quæ ad religionem pertinebant. nam promiſit iis, qui puriori religioni ſunt addicti, Regem permiſſurum vt eam profiteantur. Poloni pontificii dicebant, ſe inſciis Valentinum id aliis promiſiſſe, & propterea non eſſe æquum vt Rex iuraret ſe id obſeruaturum: ipſe etiam Rex dicebat, Valentinum non habuiſſe de ea re mandatum. Legati vero qui ſunt purioris religionis dixerunt, ſe nunquam fuiſſe conſenſuros in electionem Andegauenſis, niſi Valentinus promiſiſſet; & niſi Rex velit id promittere, ſe re infecta redituros in patriam. Tandem Rex promiſit ſe id obſeruaturum, & ſubjecit, ſe ideo tantum hoc facere vt turbarum cauſſas in Polonia præcidat. Poſtquam de rebus omnibus inter eos conuenit, Rex Galliæ, Polonicus, & reliqui proceres Gallici, & legati Polonici iuerunt in ſummum templum, vbi Reges Galliæ & Poloniæ iurarunt ſolenniter, ſe ob-

ſe obſeruaturos ea omnia quæ legatis Polonicis promiſerant. id factum eſt decima die Septembris. Decima tertia die Galliæ & Poloniæ Reges, proceres Gallici, & præcipui Ordines regni iuerunt in palatium, quod eſt ſedes Parlamenti. Paullo poſt eò venerunt legati Polonici, ducentes ſecum equum candidum conſtratum aureo panno, qui geſtabat capſam auream, cui incluſum erat decretum factum ad Varſauiam de Andegauenſis electione. Cum veniſſent ad locum vbi Rex cum proceribus ſedebat, depromſerunt ex capſa decretum, quod erat plus quam centum ſigillis obſignatum, & illud coram omnibus legerunt, & poſtea Andegauenſi tradiderunt, eumque Regem Poloniæ ſalutarunt, omnia fauſta & felicia ei prius precati. Secutus eſt ſtatim magnus omnium qui aderant applauſus. Quod ſupererat diei datum eſt hilaritati. Poſtridie Rex Poloniæ ſolenniter ingreſſus eſt Lutetiam, comitantibus eum fratre Alenconio, Rege Nauarræ, & reliquis Galliæ proceribus. Pluit toto eo die, & quoniam ſemper ſperabatur ſerenitas, pompa eſt fere in noctem dilata, & propterea fuit minus celebris. Diſceſſit quidem Lutetia Rex Poloniæ, ſed audio ipſum manſurum in Gallia toto hoc menſe & maxima parte proximi, ita vt vix ſit venturus in ditionem Veſtræ Celſitudinis ante brumam vel natalem Chriſti. In litteris ſalviconductus

ab

Digitized by Google

ab Imperio conceſſi Regi Polloniæ, præſcribitur ei, ne faciens iter per Germaniam plures quam octingentos equites ſecum ducat. Is numerus viſus eſt ei nimis paruus, & propterea petit ab Imperatore vt ad eum numerum addantur quadringenti. Puto ipſum idem petiturum a Veſtra Celſitudine & ab aliis Principibus, & audio jam eſſe aliquem in itinere per quem id faciat. Neminem ad Imperatorem miſit ejus rei cauſſa, ſed tantum ſcripſit ad Legatum quem hic habet Rex Galliæ. Scribam poſtea ad Veſtram Celſitudinem Imperatoris reſponſum: nondum enim reſpondit, quoniam difficilius conuenitur, eo quod nondum conualuerit ex podagra vt cubiculo egrediatur, longe tamen melius habet quam antea. Agitur adhuc in Gallia de pace cum iis qui gerunt bellum in Gallia Narbonenſi & Delphinatu, quorum commiſſarii venerunt Lutetiam ante viginti dies. Qui Sancerræ obſidebantur tandem fecerunt deditionem fame coacti, ita tamen vt ipſis vita & fortunæ eſſent ſaluæ, & regio militi numerarent quadraginta millia francorum, reliqua eſſent in Regis poteſtate, cujus juſſu jam muros vrbis demoliuntur. ipſi ciues, vt audio, clam ſe ſubducunt & alio abeunt. Quæ de morte Principis Condæi audiueramus non ſunt vera. tam grauiter decubuit, vt nulla fere ſupereſſet vitæ ſpes, ſed tamen conualuit. Comes

N de

de Retz, qui recens factus eſt regni Mareſchallus, nuper reuerſus eſt ex Anglia, quo fuerat miſſus vt ageret de conjugio Reginæ & Ducis Alenconii. Quænam ſit ei ſpes facta, nondum ſcio; ſed ſcio id fruſtra tentari, & Reginam Angliæ nunquam nupturam. Ii qui puriorem religionem in Polonia profitentur celebrarunt Synodum Cracouiæ die Michaelis: audio eos conſtituiſſe, ſtatim vbi Rex aduenerit, exhibere ei ſuæ fidei confesſionem. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtrisſimæ veſtræ familiæ. Viennæ, IIX Septembr. M D LXXIII.

XIV.

ILluſtrisſime Princeps ac Domine clementisſime: Sub initium Auguſti menſis clasſis Turcica miſit quatuor triremes ad explorandum portum Crotonis, veteris vrbis magnæ Græciæ, quæ nunc Calabria nominatur: quas inſecuta cum conaretur in portum irrumpere, orta ſubito tempeſtate, rejecta eſt partim in Corcyram, partim in Ambracium ſinum; quod tamen factum eſt ſine vlla nauium iactura. Pialus Baſſa fuit in ea parte clasſis quæ Corcyram appulit. Id vbi reſciuit is qui præeſt inſulæ nomine Reipublicæ Venetæ, miſit ad eum duas triremes; in quibus erant aliquot Nobiles Veneti, qui ei obtulerunt munera, & petierunt ab eo, ne quid damni ſub-
ditis

ditis Reipublicæ ſuos milites inferre patere-
tur. Fuerunt humanisſime excepti a Pialo,
qui promiſit,ſe facturum id quod peterent; &
vt eos ab omni ſuſpicione liberaret, adjecit, ſe
non ingreſſurum ſinum Adriaticum. Signifi-
cauit autem, ſe exſpectare alteram partem
clasſis ex Ambracio ſinu,poſt cujus aduentum
dixit ſe nauigaturum ad loca vicina Siciliæ, vt,
ſi poſſit fieri, Hiſpanos ad pugnam eliciat.
quod ſi nolint confligere Hiſpani, ſe inuaſu-
rum Crotonem, vt antea conſtituerat. Veneti
mandarunt ſuis ſubditis qui Ionii maris inſu-
las ac littora Dalmatię &Macedoniæ incolunt,
ne qua moleſtia Turcas afficiant,& vt juſto pre-
tio vendant ea quæ ab ipſis petent. Decimo
octauo die Auguſti claſſis Hiſpanica nondum
erat prorſus inſtructa; nam exſpectabat adhuc
aliquot triremes, quæ & Neapoli & ex littore
Liguſtico militem aduehere debebant. Joan-
nes ab Auſtria præmiſerat Panormum naues
onerarias, vt Tunetanæ vrbi eſſent propin-
quiores,quam adhuc profitetur ſe inuaſurum.
Multi incipiunt ſuſpicari, nec Turcas nec Hiſ-
panos quidquam eximium hac æſtate tentatu-
ros. Paullo antequam Joannes ab Auſtria
Meſſanam veniret, orta eſt ibi ſeditio inter ci-
ues & milites claſſiarios,in qua multi vtrinque
ſunt interfecti. Vndecimo die Auguſti na-
tus eſt Regi Hiſpaniæ ſecundus filius. Rigomus
de Sylua, cujus præcipua fuit apud Regem

Hiſpaniæ auctoritas, mortuus eſt nuper. anno 1556 cum Rex Philippus ſuſciperet adminiſtrationem, aut nullas aut exiguas opes habebat. moriens dicitur reliquiſſe liberis ſuis reditus annuos centum millium aureorum, & quater centena millia coronatorum numeratæ pecuniæ, & ſupellectilem ingentis pretii. Ille ſciuit vti occaſionibus quas ipſi fortuna obtulit: fuit inimiciſſimus Duci Albano, cui haud dubie mors ejus lætitiam afferet. Seditio militum Hiſpanorum ad Harlemum dicitur ita eſſe compoſita, vt Albanus numerauerit iis qui eam excitauerant ter centena millia aureorum, & præterea promiſerit, ſe quolibet menſe eis numeraturum quatuor menſium ſtipendium, quoad ipſis omnino ſatisfiat. Quid ſit iam tentaturus nondum eſt huc ſcriptum. Dominus ab Jerges præfectus Geldriæ cœpit nuper obſidere oppidum Bommel cum duobus millibus peditum & trecentis equitibus: quod vbi innotuit Principi Orangio, acceſſit eo cum tribus millibus peditum & ſexcentis equitibus, verum alter non exſpectato ejus aduentu ſoluit obſidionem. Milites qui ibi ſunt in præſidio excurrunt ad duo aut tria milliaria ab Antuerpia, & omnia circa Bredam & Hochſtratam depopulantur. Claſſis quæ debuit ſubuenire Middelburgo ſoluit quidem Antuerpia, ſed neſcitur quid ipſi acciderit. Quidam ſuſpicantur eam feciſſe naufra-

gium

gium, eo quod recens illis in locis fuerint ſæuiſſimæ tempeſtates, & in Scaldi fluuio viſæ ſint natantes plurimæ tabulæ fractarum nauium. Nouus Rex Poloniæ conſtituit facere iter per Germaniam, ſed vix excedet fines Galliæ hoc menſe. Alenconius alter Regis frater rediit æger ex caſtris ad Rupellam, & Dux Longueuillanus inde reuertens mortuus eſt in itinere. Gallia nondum eſt pacata: nam ſolæ vrbes Rupella & Montalbanum acceptarunt conditiones a Rege propoſitas. Scripſeram antea ad Veſtram Celſitudinem, Turcas voluiſſe exſtruere munitionem in oppido Kalo. Ruberus præfectus Imperatoris in ea parte Hungariæ collecto milite inde eos expulit, & cœpit exſtruere arcem eo loco quo ipſi prius voluerant, habetque ibi ad ſex millia foſſorum. Baſſa Budenſis id fert ægerrime, & magna diligentia colligit militem vt Ruberi conatus impediat. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtrisſimæ veſtræ familiæ. Viennæ, XI Septembr. MD LXXIII.

XV.

Illuſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Quoniam noſtra gens ab aliquot annis ſua ita adminiſtrauit, vt videatur ſe ſuamque ſalutem & exiſtimationem odiſſe, minus miror Regem Poloniæ fugiſſe ab iis, qui

eum honore affecerant & amore proſequebantur, ad eos quorum fidei neſcit quantum debeat credere: cum potius habeant cauſſam cur eum oderint quam cur ament. Grauiter procul dubio de eo conquerentur Poloni, qui reiectis tot principibus ſibi neceſſitudine coniunctis ipſum fere ignotum regem elegerunt. Redibit forte celerius in Galliam ea ratione qua iam inſtituit redire, quam ſi rebus in Polonia rite compoſitis diſceſſiſſet. Sed meo iudicio redibit cum minore exiſtimatione; & ſi humanius cum Polonis egiſſet, potuiſſet forte eorum conſenſu fratrem, vel aliquem alium ex ſuis amicis ſibi ſucceſſorem in regno conſtituere. Audita morte fratris, ſperaui, hunc ſi in Galliam rediret, daturum operam vt regno amiſſum ſplendorem paullatim reſtitueret, cum videatur eſſe moderatiore ingenio, & magis compoſitis moribus, quam fuerit frater, & gloriæ deſiderio eum teneri putarem; ſed hic diſceſſus repentinus ex Polonia minuet opinionem de eo in multorum animis, & forte erit in cauſſa, vt etiamſi cupiat res ſuas bene conſtituere, defutura ſit ei auctoritas ad id perficiendum. Diſceſſit noctu Cracouia, fune vt audio per feneſtram demiſſus, nec interquieuit antequam Sileſiæ fines attingeret. Die vigeſima huius menſis venit huc ſub occaſum ſolis nobilis vir, miſſus ab eo ad Imperatorem: quem Imperator ſta-
tim

tim ad colloquium admiſit, & poſtridie mane dedit ei litteras ſalui conductus, quas Rex petebat: quibus acceptis proceſſit obuiam Regi quanta potuit celeritate. Credo id agi, vt in ſuo reditu in Galliam nullius Principis Germanici, præterquam Imperatoris & Archiducis Ferdinandi, ditionem attingat: per eas enim in Lotharingiam, vel in epiſcopatum Metenſem peruenire poteſt. Ea res haud dubie male habebit Ducem Bauariæ, cuius dieſtionem vt vitet Rex, a recta via ipſi erit deflectendum. Imperator videtur omni genere humanitatis eum ſibi deuinctum reddere velle: miſit heri ad ipſum Dominum Rudolphum Kain ſui ſtabuli præfectum in arcem Volkersdorff, quæ hinc abeſt tribus milliaribus. Miſit ei hodie Imperator vnum ex ſuis ſacrificulis: nam inter ſua impedimenta nullum tale animal habuit. Sunt qui dicunt, Imperatorem ſcripſiſſe ad Regem Rudolphum & Archiducem Erneſtum, vt ſuum reditum accelerent. Omnia hic in arce ſplendide apparantur ad eum excipiendum. Imperator conſtituit ſub veſperam ire obuiam ei venienti in hanc vrbem, ſed cum paucis: nam ne quidem vult vt legati regum & principum qui hic ſunt eum comitentur. Plerique Galli credunt, eum ducturum fratris viduam: nam eiuſmodi coniugia non habentur amplius pro illicitis. Scripſi antea ad Veſtram Celſitudinem,

nem, Regem Carolum paullo ante mortem conſtituiſſe matrem adminiſtratricem regni, ſeu regentem, vt loquimur. id munus ei confirmauit hic Rex, & de ea re litteras ad eam iam miſit. Palam dicit Rex, ſe plane conſtituiſſe ignoſcere omnibus in Gallia, qui vel publice vel priuatim aliquid aduerſus ipſum commiſerunt, modo eius benignitatem non reſpuant. Mandauit iis quos in Galliam miſit, vt iuberent Montmorancium de ſua erga ipſum clementia bene ſperare. Significauit idem Principi Condæo, & hortatus eſt eum vt in Galliam rediret. quod eum vix facturum puto, niſi aliter ipſi quam verbis caueatur: cum præſens nuper publice profeſſus ſit in eccleſia Gallica quæ eſt Argentorati, ſe grauiſſime Deum in eo offendiſſe, quod poſt illam Pariſienſem ſtragem metu mortis ad ſacra pontificia acceſſerit, & petiit a Deo & ab eccleſia, vt id ſibi ignoſceretur. Aiunt eum conſcribere militem, eiusque copias fore quatuor millium equitum & totidem peditum Germanicorum, quibus accedent aliquot Galli qui in epiſcopatu Metenſi vagantur. Heluetii quos Rex Hiſpaniæ conſcripſit hærent in comitatu Burgundiæ, & negant ſe progreſſuros vlterius ante aduentum Hiſpanorum & Italorum, qui (vt eſt ipſis promiſſum) vna ſunt ituri in Belgium. Credo quod id faciant edocti a Comite Annibale ab Ems. Vbi huc adueneril

uenerint, Galli qui ſunt cum Rege, de iis omnibus rebus diligentius ſcribam ad Veſtram Celſitudinem: cui omnia fauſta & felicia precor & toti illuſtriſſimæ ſuæ familiæ. Viennæ, XXIV die Junii MDLXXIV.

XVI.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Scripſi antea quædam ad Veſtram Celſitudinem de diſceſſu Regis ex Polonia, & eius aduentu in has regiones: quæ iam paullo altius repetam, vt ea audiui hic ex iis quorum conſilio maxima ex parte fuerunt adminiſtrata. Antequam certum nuncium de morte fratris Rex accepiſſet, ſciebat morbum quo laborabat eſſe lethalem, & propterea cœpit de ſuis rebus mature cogitare. Nam mater eum perpetuo hortabatur, vt ſuum in Galliam reditum quantum poſſet acceleraret, quandocunque fratrem diem ſuum obiiſſe intelligeret: id enim exigere perturbatum regni ſtatum & plurimorum ex nobilitate incertas & fluctuantes voluntates. Decima die huius menſis Imperator accepit litteras a Commendatore maiore, quibus ei mors Regis Galliæ nunciabatur: quod ſtatim ſcripſit ad Andream Dudithium oratorem ſuum in Polonia, vt id Regi indicaret; quod eſt ab eo factum decima quarta die huius menſis. Poſtridie venit ad Regem nobilis vir, miſſus a Regina ma-

tre ipſius, qui id confirmauit quod Cæſareus orator ipſi ſignificauerat; & adiecit, Regem Carolum eodem die quo eſt mortuus inſtituiſſe Reginam matrem adminiſtratricem regni, ſeu regentem, vt loquimur; quod petebat mater vt ipſe ſua auctoritate confirmaret, & hortabatur eum vt quam citiſſime in Galliam rediret. Rex curauit ſtatim conſcribi litteras, quibus regni adminiſtrationem matri concedebat, & eas ad ipſam miſit. Verum vt Polonorum animos pertentaret, coegit Senatum ex iis ſenatoribus regni, qui fuerunt Cracouiæ & in vicinis locis, quibus expoſuit mortem fratris cui in regno ſuccedere debeat, dixitque, res Gallicas exigere, vt eo redeat, ad componendum regni ſtatum, qui ſit perturbatiſſimus. Præterea oſtendit eis litteras, quibus matri confirmabat conceſſam a fratre regni adminiſtrationem, & ab ipſis petiit, vt ei indicarent, quid in his rebus optimum factu indicarent. Poloni re inter ſe deliberata id primum reprehenderunt, quod in litteris, quas ad matrem mittere conſtituerat, nominaret ſe Regem Galliæ: id enim ipſum non debuiſſe facere inconſulto Senatu Polonico. Quantum autem attinet ad eius reditum in Galliam, dixerunt, ſuis legibus caueri ne Poloniæ regnum per alium quam per ipſum Regem adminiſtretur, & propterea non licere ipſi diſcedere e regno; regni vero Gallici ali-

am

am eſſe rationem, poſſeque illud per legatos adminiſtrari. Itaque ſibi videri conſultum, vt deligantur decem vel duodecim, vel etiam plures ex Polonicis proceribus, qui ingenio & rerum vſu valeant, qui mittantur in Galliam, vt conſiderent quis iam ſit regni ſtatus, & qua ratione eius tranquillitati conſuli poſſit: poſtea reuerſi in Poloniam exponant Regi & Senatui quid viderint & obſeruauerint. tum demum deliberetur in Senatu, qua ratione Galliæ conſuli poſſit, & an ex gente Gallica ſint inſtituendi regni adminiſtratores, an vero ex Polonia mittendi. Tandem dixerunt, omnia hæc reiicienda eſſe in regni comitia, quæ indicta ſunt ad diem XXV Auguſti, & ſe tantum obiter voluiſſe reſpondere hæc Regi petenti ab ipſis conſilium, non autem aliquid decernere. Quidam vt Regem conſolaretur, addidit, ipſi fore longe glorioſius manere in Polonia quam redire in Galliam: cum in Polonia habiturus eſſet amplam materiam & plurimas occaſiones exercendæ ſuæ virtutis aduerſus Moſcos, Tartaros & Turcas, gentes ferociſſimas; in Gallia vero tales occaſiones ipſi nequaquam offerri aut contingere poſſe. Vbi Rex animaduertit quid iſti haberent animi, conſtituit omnino ab ipſis diſcedere. nam videbat ipſos non facile conceſſuros vt in Galliam rediret, ſi de ea re in publicis regni comitiis deliberaretur. Itaque die decimo

octauo huius menſis ſub horam ſecundam noctis egreſſus eſt arcem Cracouienſem per portam anguſtam quæ ducit in ſuburbium, & inde pedes profectus eſt ad locum ad quem iuſſerat equum ſuum duci & ſuos comites conuenire; & ita tota nocte equitans peruenit poſtridie in Imperatoris ditionem, ſuis omnibus ſaluis, excepto Pibraco viro præſtantiſſimo, quo vtebatur interprete agens cum Polonis de republica & de aliis rebus. Is enim aberrauit a via, & cum audiret inſequentes & vociferantes ruſticos, qui concitati erant aduerſus Gallos fugientes, penetrauit in denſam ſyluam, & per aliquot horas delituit in palude inter arundines. tandem fame coactus ex ſuis latebris prorupit, & incidit in nobiles Polonos, qui multa ſunt ei minati, ac voluerunt eum Cracouiam reducere. Verum cum ipſis expoſuiſſet, ſe nec Polonum eſſe, nec regno Poloniæ iuramento vllo obligatum, ſed eſſe priuatum miniſtrum ſui Regis, eum incolumem dimiſerunt. Rex, vt antea ſcripſi ad Veſtram Celſitudinem, venit Volkersdorffium die XXIII huius menſis, qui locus abeſt hinc tribus milliaribus. Poſtridie Imperator ſtatim poſt prandium miſit ei obuiam Matthiam & Maximilianum filios, qui fere vſque ad eius hoſpitium peruenerunt. Inſecutus eos Imperator ſubſtitit in inſula Danubii, in loco quem nominant Tabor, vbi ſoluitur portorium

rium, ibique Regem exſpectauit. Cum aduenisset Rex, vterque de rheda deſiliit, & ſe mutuo ſunt complexi & aliquandiu vna ſunt collocuti. Poſtea Imperator conſcenſa rheda Regem ad ſe recepit, & ita ſunt ingreſſi vrbem ſub horam quartam. Imperatrix excepit Regem in infimis gradibus arcis ad ipſam aream. Diuertit autem Rex in eam partem arcis quæ eſt ſiniſtra ingredientibus, quam ſolent incolere Matthias & Maximilianus Archiduces. Poſtridie cum Rex iam cœpiſſet prandere, venit ad eum Imperator, & dixit ſe velle eius eſſe conuiuam. Sed fuit diſpar conuiuium: Imperator enim veſcebatur carnibus, Rex autem piſcibus; nam erat dies Veneris. Fuerunt vna fere per tres horas colloquentes de variis rebus. Poſtquam diſceſſit Imperator, Rex impendit quod ſuperfuit diei in perluſtrandis & ſpectandis iis quæ hic ſunt maxime ſpectatu digna. Die ſubſequente, qui fuit XXVI huius menſis, Imperator ſummo mane iuit venatum, in propinquam ſyluam quæ cingitur Danubio: quo ſubſecutus eſt eum Rex a prandio. Poſt prandium oblectarunt ſe variis colloquiis, & interea Imperator curauit afferri picturas, varia genera armorum, & alias res in quibus eminebat eximium aliquod artificium, ita vt fere totus dies in iis rebus ſpectandis ſit conſumtus. Poſtridie mane Imperator duxit eum in Ebersdorf, & in hortum illum in-

ſignem quem exſtruit vno abhinc milliari, qui vulgo nominatur hortus phaſianorum, vnde ſub noctem ſunt reuerſi. Imperator ſignificauerat Regi Hungariæ & Archiduci Erneſto, vt ſuum reditum ex Bohemia accelerarent, quo poſſent Regem hic ſalutare: qui ob eam rem in hodiernum diem diſtulit ſuum diſceſſum, cum alias conſtituiſſet heri diſcedere. Sed tamen nondum venerunt; verum, vt audio, Imperator ſignificauit ipſis, vt hic nequaquam ſubſiſtant, ſed quanta poterunt celeritate ſubſequantur. Diſceſſit hinc hodie hora ſeptima, & eſt Imperator comitatus eum diſcedentem. Ambo autem eadem rheda vehebantur, in quam etiam aſſumſerat Imperator Ducem Cliuenſem. Antequam rhedam conſcenderent, Imperator diu eſt cum eo collocutus in area arcis, ſpectante tota aula, & poſtea iuſſit filios ſuos Matthiam & Maximilianum accedere, quos Rex eſt amplexus. poſtea Imperator Matthiam reuocauit, & neſcio quæ ridens cum Rege de eo locutus, ludens ei capillos vellicauit. Rex iuſſit me ad ſe venire, & diligenter ex me percontatus eſt de valetudine Veſtræ Celſitudinis, illuſtriſſimæ Dominæ coniugis, illuſtriſſimi principis Chriſtiani, & iuſſit vt Veſtram Celſitudinem ſuo nomine officioſe ſalutarem, ac ſignificarem Veſtræ Celſitudini, ipſum nihil magis cupere quam cum Veſtra Celſitudine colere eam amicitiam quæ ipſius maio-

maioribus cum domo Saxonica interceſſit. Imperator ſane nullum genus humanitatis erga ipſum prætermiſit, quamdiu hic fuit. Comitatus quem ſecum adduxit fuit exiguus: nam toti comitatui, præter famulos, ſufficiebant tres menſæ. ad vnam accumbebant conſiliarii, ſecretarius, medicus, & quidam alii viri litterati; reliquæ duæ ſatis erant Nobilitati, connumeratis etiam iis qui miſſi erant ad ipſum Regem ab Alenconio, Nauarro, Sabaudo, Lotharingo & aliis. Regis cura ab Imperatore demandata erat Domino a Kain præfecto ſtabuli, Comito a Ladron ſeniori, & Augerio a Busbeck qui diu fuit Cæſareus legatus Conſtantinopoli, & poſtea præfectus aulæ iuniorum Principum. Comes Egmondanus fuit eius pocillator. Omnes fere Galli habuerunt hoſpitium in arce, & ſi qui voluerunt laxius habitare, paratum erat eis palatium Archiducis Caroli. Ego omnia fauſta & felicia precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Viennæ, XXIX Junii MDLXXIV.

XVII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Imperator in ſua propoſitione petiit ab Ordinibus Bohemiæ, vt per quinque annos quolibet anno conferrent ducenta millia vallenſium ad ſtipendia militum, qui ſunt in præſidiis Hungaricis, & quinquaginta millia

Digitized by Google

lia ad reparandas veteres & exſtruendas nouas munitiones. Petiit præterea, vt per decennium conferrent anno quolibet ducenta & quinquaginta millia ad perſoluenda debita relicta ab Imperatore Ferdinando. Item, vt per quinquennium numerentur ei quattuor groſſi ex quolibet vaſe cereuiſiæ, & Imperatrici groſſus vnus. Poſtremo petiit, vt inirent rationem reſtituendi ſcholas collapſas, & redigendi argentifodinas Kutbergenſes in meliorem ſtatum, ac vt eſſent inſtructi armis & equis, quo illis vteretur aduerſis temporibus. Bohemi reſponderunt, ſe mirari ipſum talia petere ab eis, cum in poſtremo conuentu non ſolum promiſerit, ſed etiam ſcripto reliquerit teſtatum, in proximo conuentu deliberationem fore de grauaminibus quæ regnum hucusque affligerent: ac propterea ſe exiſtimare, eiusmodi conſilia non proficiſci ab eius Maieſtate, ſed excogitari ab hominibus peregrinis, qui de regni ſalute parum ſolliciti ſint. ſe autem petere, vt ſit memor promiſſorum, nec ægre ferat ſi de iis, quæ ad ſtatum patriæ eiusque commoda pertinere exiſtiment, ipſum liberius admoneant. Reſpondit Imperator, ſe eſſe promiſſorum memorem, & velle præſtare quidquid promiſerit. ſed contra ſe ab iis petere, vt ſint memores eorum quæ propoſuerit; nec offendi libertate illorum, ſibique gratum eſſe quod nihil apud ipſum diſſimulent, iuxta

vetus

Digitized by Google

vetus dictum, ex bona confesſione oriri bonam abſolutionem. Quantum audio, conuenire cœperunt heri Ordines regni, vt de grauaminibus deliberent quæ Imperatori ſunt proponenda. Agitabitur quoque cauſſa religionis, in qua re ſperant fore parum difficultatis, ſi inter ſe eſſent concordes omnes qui a Pontifice receſſerunt. Sunt autem diuiſi in duas præcipuas ſectas: hoc eſt, in eos qui Auguſtanam confesſionem amplectuntur, & fratres VValdenſes, quos alii Picardos nominant. nam eos quos Calixtinos adpellant, ego pro veris Pontificiis habeo. Hæc diſſidia inter ipſos ſunt valde grata Pontificiis, qui ea quantum in ſe eſt fouent, quod ſic minus aduerſum ſe diſſentientes ac diuiſi valeant. Tanta iam eſt confidentia in Geuſiis, vt cogitent de ſchola publica inſtituenda in vrbe Leidenſi apud Hollandos, quam Hiſpani ante non multos menſes obſidione grauiter concuſſere. Eam ob rem nuper venit Heidelbergam Philippus Marnixius Aldegondus, qui diu captiuus deſedit apud Hiſpanos, vt miniſtros verbi & bonarum artium profeſſores conquireret. Properant quantum poſſunt in ſchola condenda ſolenniter, vt ſic eius conſeruatio inſeratur conditionibus pacis, qua de iam agitur. Audio pariter ipſos miſiſſe nobilem virum ad Galliæ regem, qua in re hactenus ignoro. Hodie ſub quintam veſpertinam legatus Turcicus ingreſſus eſt hanc

hanc vrbem ſatis magna pompa: nam Imperator ipſi miſerat obuiam aulæ Mareſchallum cum aulico ſatellitio, quibus adiunxerunt ſe plures ex nobilitate Germanica, Bohemica, Hungarica, Italica. Quantum licet iudicare ex adſpectu, legatus eſt ſexagenarius, eſtque in eo ſatis magna dignitas formæ. Orta eſt ante tres dies rixa poſt pocula inter eius miniſtros, in qua vnus fuit interfectus. auctorem cædis comprehenſum iuſſit vinculis conſtringi in rheda, & cum poſtridie eſſet iter ingreſſus, capite truncari, & cadauer in proximam foſſam abjici curauit. Illuſtrisſime princeps, adoleſcens, * cui has litteras dedi ad Veſtram Celſitudinem, natus eſt illuſtri loco in Anglia. mater eius eſt ſoror Comitis Roberti Leceſtriæ, cuius eſt præcipua in aula Anglicana auctoritas. Imperator his diebus eum ad ſe accerſiuit & valde clementer accepit. Cum ſcirem eum iſtuc proficiſci, vt Saxonicas terras perluſtret, cupidumque eſſe Veſtræ Celſitudini obſequia deferendi, ſi quando permitteret occaſio, has ei litteras ideo dedi. Eſt in eo excellens ingenium, & major peritia rerum quam prope eius ætas ferat. Hic quoque legatus verſatur e Sabaudia, qui intra ſex dies commigrabit Dreſdam. Ego Veſtræ Celſitudini omnia fauſta & felicia precor totique illuſtrisſimæ veſtræ familiæ. Pragæ, Cal. Martiis MDLXXV. XVIII.

* *Philippus Sidneius.*

XVIII.

ILluſtrisſime Princeps ac Domine clementisſime: Regina Angliæ ante aliquot menſes miſit ad Imperatorem legatum adoleſcentem ſummo loco inter ſuos natum, & ea animi indole vt de nullius hominis virtute maiorem ſpem vnquam conceperim. Ante quattuor annos profecturus in Italiam Viennæ ex paucorum dierum conſuetudine me complexus eſt eo amore, vt ex Italia reuerteretur aliquandiu mecum ibidem commoraturus. Viximus itaque vna per aliquot menſes, viditque eum aliquando penes me Dominus Damianus a Sebottendorf. Diſcedens ex aula Cæſarea venit Heidelbergam, vt mandata a Regina apud Electorem exſequatur. Inde miſit e miniſtris quendam huc & petiit vt irem ad ſe, quod pro mea erga ipſum obſeruantia denegare vix potui. Hinc profectus eſt ad illuſtrisſimum Ducem Joannem Caſimirum, qui nullum genus humanitatis erga ipſum prætermiſit. Mox diſcedens venit Coloniam, indeque Antuerpiam, vbi reperit litteras Reginæ, quibus iubebatur ire ad Principem Orangium; quam ob cauſſam non audiui, nullas enim litteras ab eo tempore ad me dedit. Comitatus eum ſum vsque Coloniam, ſperans me illic compertiora de rebus Belgicis habiturum quam hic, vbi extra mercatum eſt mera ſolitudo. Coloniæ & in tota illa

illa vicinia multa turbat Epiſcopus : plurimum enim auxit vectigalia Bonnæ & Andernaci, cum maximo damno eorum qui Rheno ſuas merces vehunt. Colonienſes nuper coniecerunt in carcerem exactores noui vectigalis ſali impoſiti, qui in ipſorum vrbem venerant : ob quam rem ciuitati valde eſt infenſus. Vult obtrudere Bauarum Capitulo; ſed ea in re plures habet canonicos minus obſequentes quam cuperet. Cum autem impedimentum hoc ſit ab iis potisſimum, qui puriori ſunt religioni addicti, Bauarus dira minatur Lutheranis vbi ad epiſcopatum peruenerit. Habet commendationes a Pontifice Romano ipſoque Imperatore ad Capitulum, Pontificisque legatus Comes de Porcia in id totus incumbit, vt Bauarus promoueatur. Vereor autem ne conſequatur pingue hoc ſacerdotium, & aliquando Monaſterienſe; cum habeat Ducem Juliacenſem ſibi plane addictum. Quod ſi futurum eſt, certe vicinis omnibus erit formidandus, cum præſertim iam posſideat epiſcopatum Hildeſienſem, & inter amicos numeret Joannem ab Auſtria & Ericum Brunſuicenſem. Quod ſi Albertus Archidux Auſtriæ & Andreas filius Ferdinandi, qui recens cooptati ſunt in collegium Cardinalium, adipiſcantur alios principatus & epiſcopatus potentiores, vt veriſimile eſt, multum ex ea re virium accedet parti Pontificiæ in Germania.

Digitized by Google

mania. Elector Palatinus nullam hactenus fecit ad Rhenum mutationem religionis, præterquam Heidelbergæ, vbi exauctorauit ſenatum eccleſiaſticum, & iis qui ſunt ſuæ religionis duo templa attribuit: aliis vero tertium reliquit, & Gallis ſuum. Academiam nondum attigit, quod puto factum eſſe penuria doctorum virorum, quos in aliorum loca ſufficiat. Quoniam teſtamento paterno, cuius vterque frater eſt executor, cautum eſt, ne qua fiat mutatio in religione, Dux Caſimirus monuit aliquoties fratrem, & quidem litteris ſatis vehementibus, vt teſtamentum paternum ea in re obſeruaret. Elector vero reſpondit, patrem non potuiſſe ea in re ſibi præſcribere. Pax inferioris Germaniæ nondum eſt ita conſtituta, vt ipſi fidendum eſſe videatur. Quoniam Joannes ab Auſtria & Status illarum regionum animaduertunt Hollandos ac Zelandos non obſecuturos decretis Statuum generalium, ſi ipſis adimatur ea libertas in religione qua iam fruuntur, conantur cum ipſis de religione tranſigere antequam conuocentur Status generales. Ob eam rem nuper miſerunt ad Orangium, Hollandos, & Zelandos Ducem Areſcotum, Comitem de Lallane & aliquot Abbates: quos audio poſt longam diſputationem petiiſſe tandem, vt in quolibet oppido Hollandiæ Zelandiæue concedatur vnum ſaltem templum Pontificiis, quousque de

Digitized by Google

de iis rebus in conuentu Ordinum generali ſit aliquid decretum: ad quæ audio reſpondiſſe Orangium, ſe ea de re cum ſuis deliberaturum, & poſt quindecim dies ſententiam illorum ipſis ſignificaturum. Omnes qui veniunt ex Hollandia & Zelandia dicunt, populum illis in locis ita eſſe affectum, vt nunquam paſſurus ſit religionis libertatem ſibi adimi. Groningenſes funditus diruerunt arcem in ſua vrbe ab Albano exſtructam. Idem cœperunt facere Traiectenſes, ſed moniti a Statibus generalibus ceſſarunt; in ea tamen collocarunt præſidium e ciuibus, inde ſimiliter atque ex vrbe pulſo omni externo milite. Antuerpienſes, Gandauenſes & Valentianenſes enixe petierunt, vt arces apud ipſos diruerentur, quod vix impetrabunt. Dicunt, Anglos conſtituiſſe ſuas negotiationes Antuerpia Brugas transferre, niſi arx ibi ſolo æquetur, & iam inuicem ea de re conuentum eſſe. Audimus Hiſpanos dimiſſos ex Belgio dudum perueniſſe in Comitatum Burgundiæ, quare credo eos iam non procul abeſſe ab finibus Italiæ. Quidam qui adfuit, cum ipſis diſceſſuris numerarentur ſtipendia, dixit mihi, non fuiſſe plures viros militares quam quater mille pedites, mille quadringentos equites, & nihilominus fuiſſe ea in turba, quam ſecum trahebant, ad decem millia equorum & triginta millia hominum: ſecum enim abduxerunt

runt innumeram vim mulierum, puerorum, baiulorum & iumentorum, quibus Belgarum ſpolia deuehunt. Ego Veſtræ Celſitudini omnia fauſta & felicia precor totique illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, VIII Junii MDLXXVII.

XIX.

ILluſtrisſime Princeps ac Domine clementisſime: Superiore menſe correptus ſum eo morbo quo ante ſex annos laboraui totos ſeptem menſes, cuius adhuc veſtigia in facie circumfero; ſed memor, me tunc medicorum inſcitia coniectum fuiſſe in maximum vitæ periculum, eos iam in conſilium adhibere nolui. Inde accidiſſe reor, vt citius cœperim conualeſcere, quamuis nondum ſim priſtinæ valetudini plane reſtitutus, nec potuerim ante hunc diem ſcribere, defluentibus in oculos catarrhis quandocunque caput inclinabam. Quare peto a Veſtra Celſitudine, vt mihi ignoſcat, quod meam ſcribendi conſuetudinem aliquandiu intermiſerim. Quoniam non dubito quin conſiliarii, quos hic habuit Veſtra Celſitudo, ad eam diligenter perſcripſerint ea quæ occurrerunt, de iis tantum ſcribam quæ ab ipſorum diſceſſu audiuimus. Ex Gallia nihil aliud audimus, quam pacem ibi eſſe factam, & Guiſium habere in Campania copias aliquas, quas dicunt

cunt Joanni Auſtriaco militaturas. Non ſunt autem tantæ illæ copiæ, vt ipſum liberare poſſint ex iis difficultatibus cum quibus iam conflictatur. Quidam ſcribunt, earum copiarum ductores fore Carolum Mansfeldenſem, Caſparum Schonbergium, & Bethſteinium Lotharingum. Mondragonem vero & Julianum Romerum, Hiſpanos duces magni nominis, conſcripturos etiam militem Gallicum. Videtur Joannes Auſtriacus voluiſſe terrere aduerſarios fama iſtorum apparatuum, & potius oſtentare bellum quam gerere, cum nondum ad eum venerit miles Hiſpanicus, Italicus, & Gallicus, qui dicebatur dudum venturus; & patiatur vrbes, quæ eius auctoritatem adhuc ſequebantur, in ſuo pene conſpectu oppugnari a Statibus Belgicis, nec eis ſuppetias ferat. Nunc enim oppugnantur Namurcum & Ruremunda, vbi eſt Bouilleriu : quod fit cum magno Hiſpanorum dedecore, qui paſſi ſunt antea plures vrbes ab aduerſariis ſibi eripi, & præſertim eas in quibus erant præſidia Germanica. Credo eos exſpectaſſe euentum proditionis inſtitutæ ab iis qui coniecti ſunt in vincula Gandaui. Forte etiam ſperarunt fore cauſſam magnæ alicuius mutationis aduentum Archiducis Matthiæ. Sed euentus eorum exſpectationi nuſquam reſpondit. Nam proditio inſtituta ab aliis iam eſt ita patefacta, vt prætor Gandauenſis, qui

Mo-

Digitized by Google

Mocron nominabatur, & fuit ex coniuratorum numero, ſit affectus capitali ſupplicio: & quia Matthias Archidux vocatus eſt ab ea factione, videtur apud alios veniſſe in aliquam ſuſpicionem. Videntur ſane graui reprehenſione digni ii, qui Principi adoleſcenti tanta familia nato perſuaſerunt, vt pateretur iſtos in eiusmodi rebus ſuo nomine abuti. Vidi ſcriptum typis editum Gandaui lingua Flandrica, in quo continetur, Areſcotum & ſocios voluiſſe clam inducere Gandauum valida militum præſidia, & ita committere Flandros cum Brabantis, exiſtimantes, occupata ea vrbe ſe facile perſuaſuros reliquis Flandris, vt ſuas partes ſequerentur. Conſtituerant autem Archiducem Matthiam collocare Ruremundæ, quæ eſt vrbs munitiſſima inter Gandauum & Antuerpiam, & eius nomine abuti ad ea perficienda quæ inſtituerant. Circumferuntur conditiones ipſi Matthiæ oblatæ, quas ſi acceptaret, non eſſet futura magna eius auctoritas in gubernatione: quamuis ego dubitem an nomine omnium Statuum ſint ei oblatæ. Audio eum dicere, ſe ideo veniſſe vt Statibus inſeruiat in quacunque re poterit, & modo ipſis prodeſſe poſſit, ſe parum curaturum quid de ea re iudicaturus ſit Joannes Auſtriacus. Jam delitescit Lieræ, quod eſt oppidum non magnum, quod abeſt ab Antuerpia tribus milliaribus, & totidem a Mechlinia. Videtur ſane ipſi

ne ipſi parum honorificum tamdiu ibi hærere. Quidam ex iis, qui ex inferiore Germania veniunt, ſuſpicantur eſſe aliquos, qui eum obſeruent, ita vt non ſit plane ſui iuris, etiamſi nullæ appareant cuſtodiæ ipſi poſitæ; quod non exiſtimo eſſe verum. Scripſit humaniſſime ad Orangium, cui omnem beneuolentiam obtulit. Orangius autem miſit ad eum fratrem ſuum Comitem Joannem, per quem ipſi ſua officia & obſequia detulit. Areſcoti & ſociorum perfidia magnam auctoritatem Orangio conciliauit: cœpit enim vbique populus dubitare de omnium procerum fide, præterquam de ipſius, eo quod nemo dubitet eum exercere capitales inimicitias cum Hiſpanis; & ſane conuitia quæ Joannes Auſtriacus & alii Hiſpani in eum coniecerunt, ſunt etiam in cauſſa vt ei maior fides adhibeatur. Jam Flandri & Brabanti palam dicunt, ſe nullum alium gubernatorem quam ipſum habere velle. Cum itaque erga ipſum ſint ita affectæ illæ duæ potentiſſimæ prouinciæ, & dudum habeat ſibi addictos Geldros & Friſios, non puto Hannonios & Atrebatenſes ab iſtorum conſenſu ſe ſeiuncturos. Quare ſi Hiſpani prouincias iſtas bello petierint, illæ haud dubie volent ipſius Orangii conſiliis præcipue bellum adminiſtrari. Alenconius Regis Galliæ frater iam redit ad veteres illas artes quibus Hugenotis impoſuit. Fuit diu in Picar-

Picardia, vt ex loco propinquo ageret cum Orangio, cui ſignificauit, ſe nihil non facturum in gratiam Statuum Belgicorum, ſi ſe eius fidei committere voluerint, ſicut ante annum facere voluiſſe videntur: ſe enim perfecturum, ne ex Gallia quidquam auxilii mittatur Joanni Auſtriaco. Plura promittit, & addit, ſe vt Hugenotos in poſtremo hoc bello oppugnaret perſuaſum fuiſſe a matre & a viris bonis quos apud ſe habuit: qui eo argumento ipſum præcipue mouerant, quod dicerent, Ordines regni conſtituiſſe adimere ipſi ius ſucceſſionis in regno, ſi ſe a Rege fratre ſeiungeret. Audio, ipſi reſponſum eſſe, poſſe de iis rebus cum ipſo longe commodius agi, vbi conſtiterit, ipſum colere ſinceram amicitiam cum Rege Nauarræ & cum Principe Condæo, & ſua conſilia cum eis coniungere. Aiunt, Status Belgicos miſiſſe legatos ad Regem Galliæ; ſed de quibus rebus ſint cum eo acturi, non audiui. Antea ab ipſis miſſus fuit in Angliam Hauræus frater Areſcoti, petitum a Rege auxilia: quorum ipſis dudum ſpem fecit, ſi a Joanne Auſtriaco oppugnarentur. petiit autem, ne militem mitteret, ſed pecuniam, quam putant ipſum voluiſſe interuertere, ſi ei tradita fuiſſet, & conuertere in vſus illius factionis cuius erat caput Areſcotus eius frater. Veniens in Angliam non indicauit Reginæ, accerſitum eſſe Matthiam Ar-

chiducem, cum tamen eſſet ex eorum numero, qui eum accerſiuerant: quæ res Reginam male habuit, a qua poſtea interrogatus, an ſciuiſſet eum venturum, coactus eſt fateri, ſe ſciuiſſe. Regis Galliæ mandato detentæ ſunt Burdigalæ quinquaginta aut ſexaginta naues Anglicæ, quæ eo nauigauerant vt vina coemerent. Quam ob cauſſam Rex id mandauerit non audiui. Vbi id reſciuit Regina Angliæ, curauit etiam detineri duas & viginti naues Gallicas, quæ ignaræ eorum quæ cum Anglis acta erant Burdigalæ, agitatæ tempeſtatibus in quendam Angliæ portum ſe receperant. Aiunt, merces quæ erant in nauibus Gallicis eſſe longe maioris pretii, quam eæ quæ erant in Anglicis, etiamſi eſſent plures. Hæc ſunt quædam præludia belli, quod multi putant oriturum inter illas duas gentes. Scripſit ad me nuper ex Anglia vir fide dignus quiddam quod videtur non indignum eſſe cognitu. Forbiſſerus natione Anglus, homo rei nauticæ peritiſſimus, iam per aliquot annos procul ad Septentrionem nauigauit, ſperans ſe poſſe reperire fretum, per quod nauigari poſſit in mare quod Hiſpani nominant del Sur, & inde ad Moluccas inſulas, in quibus proueniunt aromata, & in Indiam Orientalem: nam exiſtimant nouum orbem repertum ab Hiſpanis eſſe Inſulam quæ ad orientem & meridiem ſeparetur a continente freto Magellanico, &

ad Oc-

ad Occidentem & Septentrionem eo freto quod ipſe inueſtigat. Cum autem amnem obambularet in quadam inſula plane inculta ad quam aquandi gratia appulerat, quidam ex eius comitibus conſpicatus glebam rutilantem, collegit eam ac ipſi oſtendit: a quo cum contemni videret, retinuit tamen eam apud ſe & ſecum in Angliam vexit, vbi cum eam aurifabro oſtendiſſet, is eam conflauit, ac reperit eſſe aurum fere purum. Ea res eſt tandem ad Reginam delata, quæ ſuperiore vere iuſſit Forbiſſerum cum tribus nauibus nauigare in eam inſulam, vnde gleba illa aduecta erat. adiuncti ſunt autem ei aliquot viri rei metallicæ periti, qui eius loci naturam explorarent. Nauigauit ille, & iam in Angliam reuerſus eſt incolumis, & ſecum aduexit ad centum vaſa plena illa materia metallica, quæ nondum ex nauibus exportata erat cum huc ſcriptæ ſunt litteræ. Referunt metallici qui cum eo fuerunt, non ſolum inſulam illam, ex qua aduecta erat prior illa gleba, abundare ea materia, ſed & quatuor alias inſulas vicinas non multum ei cedere. Si hæc ſunt vera, erunt haud dubio plurimis exitio: nam omnes volent eo nauigare. Dani, qui iam marceſcunt otio, habebunt pulchram occaſionem oſtentandi ſuam induſtriam, cum ſint propinquiores illis locis quam Angli, & ſibi aliquid iuris in illo ſeptentrione vendi-

cent. Ego Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ omnia fauſta & felicia precor. Francofurti, XXVII Nouembr. MDLXXVII.

XX.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Poſt diuturnam diſceptationem Statuum Belgicorum Matthias Archidux renunciatus eſt legatus Regis Hiſpaniæ, ſeu gubernator generalis prouinciarum inferioris Germaniæ quæ parent Regi Hiſpaniæ. Miſſus fuit a Statibus Antuerpiam Cancellarius Brabantiæ, vt id Matthiæ ſignificaret, & ab eo peteret vt ſe ſtatim Bruxellas conferret ad præſtandum iusiurandum Regi ipſi & Statibus. Hæc facta ſunt Antuerpiæ decima octaua die ſuperioris menſis, quo die publice in ipſa vrbe excitati ſunt ignes in ſignum lætitiæ. Sunt qui dicant, Status habuiſſe aſſenſum Regis Hiſpaniæ, antequam eum renunciauerint gubernatorem; ſed mihi videtur id non potuiſſe tam cito fieri, cum longiſſime inde abſit aula Hiſpanica, nec ſoleant Hiſpani properare in deliberationibus de rebus grauioribus. Addunt, Joannem Auſtriacum iuſſum eſſe a Rege redire in Italiam, quod an ſit verum breui intelligemus. Scribunt, conditionibus quibus deſignatus eſt gubernator Matthias, inſertum eſſe, ne vllum habeat conſilia-

rium

rium natum extra illas prouincias,& qui non ſit religionis Romanæ. Quæ ſi ſunt vera, Orangii cauſſa inſerta eſſe non eſt dubium, qui ea ratione a deliberationibus de republica excluditur. Ego fere non dubito quin Matthias accerſitus ſit in eas prouincias odio Orangii: nam male habet alios proceres, quod plus valeat gratia & auctoritate apud populum quam ipſi, & propterea voluerunt ei Matthiam opponere. Quam prudenter faciant, viderint ipſi; nam de ipſorum corio luditur. In eo videntur imprudenter facere, quod cum antea ageretur de libertate patriæ communi conſilio aſſerenda, iam immiſceant huic rei religionis controuerſiam: quod ſit contra pacem Gandauenſem. Hæc haud dubie ſuggeruntur ipſis ab aſtutis hominibus, quo tollatur ille conſenſus in quo illorum ſalus conſiſtit. Electio Matthiæ eſt parum grata primariis vrbibus; quod ſatis antea teſtati ſunt Gandauenſes, qui proceres, de quibus antea ſcripſi, ideo tradiderunt cuſtodiæ, quod ab ipſis eſſet accerſitus, nec volunt eos dimittere, etiamſi Status id ipſis imperent. Quare petunt Status ab Orangio, vt ſe Gandauum conferat, & det operam vt liberentur captiui. quod an ſit facturus neſcio, cum videat id fore ingratum populo, quem non vult offendere. Pleræque vrbes recenſent non ſolum ſuos ciues, ſed etiam habitatores, iubentque ſibi arma

comparare eos, quorum ætas iis geſtandis eſt conueniens, hoc eſt, qui maiores ſint annis viginti & minores ſexaginta. Nemo autem eſt ab eo onere immunis, præter Eccleſiaſticos, & eos qui magiſtratum gerunt. Antuerpiæ conſcriptæ ſunt octoginta cohortes, quarum quælibet eſt ducentorum virorum. Joannes Auſtriacus habet exercitum duodecim millium hominum, conflatum ex Hiſpanis, Italis, Burgundis & VValonibus. dicuntur ad eum venturi Germani & Galli maiore numero. cum iis copiis progreditur verſus Rhenum. Nuper occupauit arcem non procul ab Aquisgrano, & iam dicitur obſidere Limburgum, quod eſt inter Leodium & Aquisgranum: in quas vrbes miſeri ruſtici fugiunt magno uumero, ex ſuis rebus ſecum vehentes quidquid poſſunt. Putatur Auſtriacus iter ſuum ita inſtituere, vt Ruremondam obſidione liberet. Habet militem exercitatum, & duces rei militaris peritos, quibus carent Status: qui ſi cum eis manus conſeruerint, multi metuunt ne non ſint futuri ipſis pares. Egerunt Status cum Comite Gunthero Schvvarzburgenſi vt ipſis conſcriberet bis mille & quingentos equites, & cum Barone a Tautenberg vt mille & quingentos, & cum Duce Caſimiro vt tria millia, quod vt audio ipſis denegauit Dux Caſimiru . quid alii fecerint neſcio. Nuper ipſis ſubſidio venerunt quattuor

tuor millia Scotorum. Non deerunt ipſis auxilia ex Anglia, modo conſentiant cum Orangio; quod ſi ab eo ſe ſeiunxerint, vix ipſis habebit fidem Regina. Rex Hiſpaniæ nuper corraſit Lutetiæ a mercatoribus ducenta millia coronatorum, quæ miſſa ſunt ad Joannem Auſtriacum. Hac iam faciunt iter plurimi milites, qui Fronsbergio militarunt in inferiore Garmania. Iis qui eos accuſant, quod ducem ſuum hoſtibus prodiderint, reſpondent, ſe noluiſſe diſcedere ex inferiore Germania antequam ſuæ libertati reſtitueretur. Reſtitutus eſt quidem ſuæ libertati, ſed ea conditione vt militibus debita ſtipendia perſoluat, quæ ipſis debentur a plurimis annis, ita vt vix futurus ſit ſoluendo. Ego hunc annum, cuius eſt hodie initium, fauſtum & felicem precor Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ. Francofurti, prima die Januarii MDLXXIIX.

XXI.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Poſt liberatam obſidione Ruremundam Hiſpani occupauerunt Falkenburgum & quædam alia loca non magni momenti, quæ tamen præſidio militari muniuerunt. Viſi ſunt aliquamdiu inſidiari Traiecto Moſæ: ſed cum viderent in oppido diligenter agi excubias, in eoque eſſe validum præſidium

militare, inde ſe verſus Aquisgranum receperunt. Aquisgranenſibus quidem magnum terrorem incutit talium hoſpitum aduentus in ipſorum fines; quos tamen non puto fore tam temerarios, vt aliquid aduerſus ipſos tentent. Aiunt, eos omnia extrema denunciaſſe Limburgenſibus niſi ſuum oppidum ipſis dedant; ſed Limburgenſes ſatis animoſe eis reſpondiſſe. Quoniam autem Hiſpani non ſunt inſtructi maioribus tormentis, non erit ipſis facile oppidum illud expugnare, cum ſint in eo duo ſigna militum. Fama eſt, Joannem Auſtriacum conſcribere apud Heluetios triginta ſigna militum, nec potuiſſe Regis Galliæ miniſtros impedire ne id fieret, quamuis clament id fieri contra pacta quæ ſunt inter Reges & ipſos Heluetios. Ego facile credo, Gallos palam ſimulare ſibi id eſſe ingratum, ſed clam Joannis Auſtriaci conatus adiuuare. Ego miror vnde habiturus ſit Auſtriacus pecuniam ad alendum tantas copias, quantas videtur velle colligere. Orangius reuerſus eſt Gandauo Antuerpiam: quo deduxerunt eum primarii ciues Gandauenſes magno numero, qui maxima alacritate excepti ſunt ab Antuerpienſibus, qui publica conuiuia celebrarunt, in quibus lautisſime eos tractauerunt. Archidux Matthias tandem profectus eſt Antuerpia Bruxellas, vbi decima nona die ſuperioris menſis publice declaratus eſt

guber-

Digitized by Google

gubernator & præfectus generalis illarum regionum, & Orangius eius vicarius ſeu locum tenens, vt loquimur. Non tam male habebit Hiſpanos quod Matthias Archidux factus ſit gubernator generalis, quam quod Orangius factus ſit eius vicarius. ea enim res euertet eorum conſilia de pace, quam ſperabant ſe non iniquis conditionibus impetraturos opera quorundam ex Senatu Statuum, qui clam ipſorum partibus fauent. Quidam ſcribunt, Comitem Guntherum Schvvarzburgenſem apud ipſos Status iam eſſe in magna auctoritate, & Matthiam Archiducem eius conſilio plurimum vti. Rex Galliæ in eo eſt occupatus vt Pariſienſes emungat pecunia. curauit omnes vrbis portas claudi præter duas, quibus præſidium militare impoſuit, quod non permittit ciues pro arbitrio vrbe egredi. Rex prætexit his rebus conſpirationem aduerſus Italos, quos Pariſienſes conſtituerant omnes interficere. Dux Guiſius ſuperioribus diebus vendidit fratri ſuo Duci de Maine trecentis & ſexaginta millibus francorum comitatum de Nanteuil, qui non longius abeſt a Lutetia quam Naumburgum a Lipſia. Guiſius in his bellis ciuilibus fuit admodum liberalis erga milites, apud quos cupiebat ſibi auctoritatem comparare, & ea ratione ingens æs alienum contraxit: frater vero elegans iuuenis duxit in vxorem filiam Marchionis de Villars, qui

iam eſt Amiralius, vetulam iam & valde deformem. vt autem eam duceret, accepit magnam vim pecuniæ a ſocero, qui eſt homo auarus & diues, & habet eam vnicam filiam, quæ tamen antea nupſerat alteri ex quo habet ſex liberos. Omnes rident ſtultitiam illius ſenis, qui bonam partem ſuarum opum donauit genero, vt illas nuptias ſuæ filiæ conficeret: cum tamen ex ea iam habeat plures nepotes. Credo Veſtram Celſitudinem iam audiuiſſe, factam eſſe tranſactionem inter Electorem Palatinum & Joannem Caſimirum eius fratrem, de controuerſiis quæ inter ipſos exortæ fuerant: in qua re audio illuſtriſſimam Principem Veſtræ Celſitudinis filiam bonam operam nauaſſe. Ego Veſtræ Celſitudini & illuſtriſſimæ veſtræ familiæ omnia fauſta & felicia precor. Francofurti, Calendis Februarii MDLXXIIX.

XXII.

ILluſtriſſime Princeps ac Domine clementiſſime: Suſcepturus iter in Galliam menſe Maio, ſcripſi de ea re ad Veſtram Celſitudinem. Ex Gallia ſcribere non potui, eo quod ob bellum ibi renouatum obſeſſa eſſent itinera, & qui præerant vrbibus ſcrutarentur tabellarios, & eis litteras eriperent, & præcipue eas quæ ſcribebantur in Germaniam: eo quod ſpargeretur fama, Principem Condæum ibi militem conſcribere, quem ad uerſus Regem duceret. Pleri-

que

que in Gallia dicunt, contra Regis ac matris eius voluntatem ſuſceptum eſſe hoc bellum: ii vero qui puriorem religionem profitentur, dicunt ſe eorum iniuriis adactos eſſe ad corripiendum arma. Agitur de pace, cuius videtur ſe arbitrum conſtituere Regis frater; ſed ipſius in ea re non videtur futura admodum magna auctoritas: quoniam regii ſuſpicantur ipſum addictiorem eſſe Nauarreno, nec conſiliorum eius de ſuſcipiendo bello fuiſſe ignarum. Cum primum veni in Galliam, peritiores rerum quos Lutetiæ ſum allocutus, ſperabant poſſe facile hoc bellum componi, quoniam Rex a bello plane abhorreret. Verum interea dum de pace agebatur, Nauarrenus occupauit Cadurcum, vrbem Aquitaniæ amplam & loco valde opportuno ſitam, quam non facile Regi reſtituent. Illius vrbis expugnatio actionem de pace difficiliorem reddidit quam antea eſſe putaretur. nam Rex vbi id reſciuit, cœpit militem diligentius conſcribere, quem in Picardiam miſit ad obſidendum oppidum Lantere ante aliquot menſes a Condæo occupatum: quam tamen obſidionem audio admodum lente procedere. Quidquid diceretur in Gallia, viſus eſt mihi Regis frater ſerio pacem expetere. nam ſatis animaduertit, turbata Gallia ſe non poſſe Belgis ea auxilia præſtare quæ ab ipſo requirent, ſi harum regionum imperium ipſi detulerint. Coactus ſum huc ex Gallia redi-

re per Normanniam, quoniam vbique in Picardia vagabantur regii milites, qui itinera omnia reddebant infeſta. Corripuit me in eo itinere febris acutiſſima, qua nondum liberatus eram cum huc appuli; ſed iam Dei beneficio melius habeo. Multi me accuſant ob ſuſceptum illud iter in Galliam, qui ignorant ob quam cauſſam illud ſuſceperim. Ego nequaquam eo miſſus fui a Statibus harum regionum, vt multi ſuſpicantur, nec vlla mandata ab ipſis habui. Sum autem eo profectus vt & mea & quorundam aliorum priuata negotia conficerem; nec credo quod eos, qui mihi ſua negotia curanda commiſerant, facti ſui pœniteat, cum quæ mihi mandauerant ex eorum animi ſententia confecerim. Adiunxi me legatis ſeu deputatis Ordinum Flandriæ, qui ad fratrem Regis mittebantur, vt ea ratione tutior eſſem in itinere. Nec quiſquā mirari debet, me metuiſſe pericula itineris, qui a tempore carnificinæ Pariſienſis in Gallia non fueram. Nec eſt quod tantopere metuant illam Flandrorum legationem ii qui me accuſant, cum nullius fere ſit momenti: nam nihil aliud habuerunt in mandatis legati illi, quam vt dicerent fratri Regis, in conuentu Ordinum Flandriæ decretū eſſe, vt ipſi proponantur articuli ſeu conditiones ante ſeptem aut octo annos conceptæ in conuentu Statuum generalium, vt prouinciæ ſuper iis deliberarent; quos articulos ego ad Veſtram

Digitized by Google

Veſtram Celſitudinem dudum miſi. In ea tamen re Flandrorum legati referebant ſe ad ea quæ in publico conuentu Statuum generalium decernenda erant, a quorum conſenſu Flandros ſe nequaquam ſejungere velle ſignificabant. quod erat plane nihil committere. nec etiam reſponſum aliquod acceperunt, ſed remanſerunt apud ipſum fratrem Regis, exſpectantes aduentum eorum qui a Statibus generalibus ad ipſum mittentur. Jam autem parant ſe ad iter legati Statuum generalium, ituri ad fratrem Regis: nam ſuperioribus diebus eſt decetum a Statibus generalibus, & etiam in conuentu omnium Ordinum huius vrbis, vt cum ipſo agatur, cum iam nulla ſpes pacis ab Hiſpanis fiat, nec videantur hæ prouinciæ ſuis viribus hoc bellum diu ſuſtinere poſſe. Non tam facile fuit ab huius vrbis ciuibus obtinere vt tale decretum facerent, quam a Statibus generalibus. nam ea res in ipſorum conuentu magna contentione eſt agitata, & ter re infecta ſolutus eſt ipſorum conuentus. Primarii enim huius vrbis ciues habent præcipuas ſuas negotiationes in Hiſpania, & propterea non eſt ipſis gratum harum regionum imperium ab Hiſpanis ad alios transferri. Audio Archiducem Matthiam, poſtquam reſciuit decretum eſſe a Statibus generalibus vt cum fratre Regis Galliæ agatur, iuiſſe in eorum ſenatum, & habuiſſe luculentam

tam orationem, qua oſtendit non ſua ſponte ſed accerſitum huc veniſſe, vt eos quantum in ſe eſſet iuuaret, ipſosque eſſe ſibi teſtes, quod ſe ab ipſorum conſenſu nunquam ſeiunxerit. iam autem ſe animaduertere, nec vtilem nec gratam fore hic poſthac ſuam præſentiam: quare ſe petere ab eis, vt ſignificent quid ſibi agendum eſſe exiſtiment. addidit, ſub ſuum aduentum plures ex Nobilitate, ac etiam ex ciuibus harum regionum, ſibi traditos eſſe, vt eos in ſua familia haberet, & eorum opera vteretur; ſe autem fideli eorum opera vſum eſſe, & ſe dolere quod ipſis gratiam referre non poſſit. quare ſe petere a Statibus, vt eorum rationem habeant, & vt ſaltem non ſit eis fraudi, quod ipſi inſeruierint. Audio eiusmodi orationem plurimos commouiſſe; ad eam autem nondum reſponſum eſſe a Statibus exiſtimo, nec forte tam cito reſpondebitur, quantum ego poſſum conjicere. Ego, illuſtrisſime Princeps, peto a Veſtra Celſitudine, vt pro innata ſibi clementia permittat me paullo liberius de tota hac re diſſerere. Nemo ignorat, has prouincias olim florentiſſimas hoc diuturno bello ciuili ita attritas eſſe, vt iam ſint miſerrimæ. Nullum autem finem ſuarum miſeriarum proſpiciunt, & ſunt in perpetuo metu ne opprimantur ab Hiſpanis, quos vident, quidquid ſimulent, nequaquam pacem expetere, nec ſi de ea agatur, in animo habere

bere vllam religionis libertatem ipſis concedere. tanta autem facta eſt in his regionibus mutatio religionis, ut ſine ipſarum exitio non poſſit papatus reſtitui. Sæpe actum fuit cum Imperatore Maximiliano, felicis memoriæ, vt ſe arbitrum pacis inter Regem Hiſpaniæ & has prouincias conſtitueret; ſed vt erat prudens & ingenio acutiſſimo, animaduertebat, Hiſpanos non ex animo pacem expetere, ſed tantum id agere, vt eius prætextu harum regionum libertatem opprimerent. Quare cum nollet eſſe miniſter iniuſtitiæ ipſorum, non paſſus eſt ipſos ſua opera in ea re abuti, nec perſuaderi potuit, vt tractationi pacis ſe immiſceret. imo cum ante quinquennium Guntherus Comes Schvvarzburgenſis ex ipſius aula huc veniſſet ac de pace agere cœpiſſet, fuiſſetque ſparſa fama, id ab ipſo fieri mandato Imperatoris, Imperator huc ſcripſit, ſe nulla de ea re mandata ipſi dediſſe. Nemo ſanus iudicabit, Imperatorem Maximilianum non cupiuiſſe componi has turbas, & harum regionum imperium conſeruari Hiſpaniæ Regi, cum quo arctiſſimam amicitiam colebat, & cui tot erat neceſſitudinibus coniunctus: ſed, vt dixi, noluit Hiſpanos ſua opera abuti ad fallendum harum regionum incolas. Mortuo Maximiliano, filius eius Rudolphus paſſus eſt ſibi perſuaderi, vt hanc rem agendam ſuſciperet. Primum huc miſit commiſſarios Baronem Vineburgium & alios,

Digitized by Google

alios, qui egerunt de pace inter Joannem Auſtriacum, qui recens ex Hiſpania aduenerat cum regiis mandatis, & Status harum regionum. Facta eſt tandem inter ipſos pax; ſed in eam pacem ſe conſenſiſſe, vt Status falleret, nimis cito docuit Auſtriacus. Mortuo Joanne Auſtriaco Imperator hanc rem agendam maiore conatu ſuſcepit, delectis ad eam rem & miſſis Coloniam aliquot Electoribus & aliis Imperii principibus, in quorum numero noluit eſſe Elector Moguntinus, ſatis animaduertens, vt eſt ſagace ingenio, quid ageretur ab Hiſpanis. Quid autem factum eſt Coloniæ? primum Principes delecti ab Imperatore non potuerunt aut noluerunt impetrare a Principe Parmenſi, vt interea dum agitur de pace, a Traiectenſis vrbis obſidione diſcederet. Præterea ex decem legatis, ſeu deputatis, quos Coloniam miſerant Status, quinque perſuaſi ſunt vt eorum a quibus erant miſſi conſilia Hiſpanis proderent, & tandem ad ipſos defecerunt. Idem actum eſt cum Atrebatenſibus & Hannoniis, vt a fœdere Statuum deficerent & ſe Hiſpanis adiungerent: quod eſt ipſis ita perſuaſum, vt ab eo tempore Status non habuerint acerbiores hoſtes. Sed hoc maxime reprehendendum videtur, quod expugnata Traiectenſi vrbe, cum eſſent conſternati ii qui partes Statuum ſequebantur, vrbesque aliquot ab ipſis Statibus ad Hiſpanos defeciſſent: com-

commiſſarii Imperatoris tunc propoſuerint conditiones pacis, quas vidit Veſtra Celſitudo: quæ profecto coniecisſent Status in plurimas difficultates, niſi miles Hiſpanicus ob non ſoluta ſtipendia excitato tumultu tunc aduerſus hoſtem progredi recuſaſſet. Nam Pontificii, qui tunc erant hic longe potentiores quam iam ſint, cum viderent illis conditionibus ſibi bene caueri, eas acceptandas eſſe cenſebant. Quod vero dicunt commiſſarii Imperatoris, ſe non potuiſſe maiorem libertatem religionis concedere Belgis, ne ipſorum ſubditi eandem libertatem ab ipſis peterent, non ſatis eos excuſat. Cum enim ſcirent, inter controuerſias quas componendas ſuſcipiebant præcipuam eſſe de religione: quare hanc prouinciam in ſe receperunt, ſi exiſtimarunt ſe nihil in ea parte præſtare poſſe. Status tot iniuriis affecti & ſibi conſcii ſe ſuis viribus imminentem ſibi perniciem auertere non poſſe, decreuerunt Principis alicuius auxilium implorare aduerſus vim Hiſpanorum: cumque nullus alius occurreret, a quo ſe id impetrare poſſe confiderent, præter fratrem Regis Galliæ, qui ſuam operam & ſua auxilia ſæpius ipſis detulerat, ad ipſum ſibi confugiendum eſſe exiſtimauerunt. Qui ſcribunt ex Germania, iudicant hanc mutationem, ſi ſequatur, fore Imperio admodum damnoſam; nec diſtinguunt inter ea quæ Imperio,

perio, & quæ domui Auſtriacæ ſunt vtilia vel inutilia. Ego ſane negare non poſſum, ſi contingat fieri eiuſmodi mutationem, id fore damnoſum domui Auſtriacæ, ad quam iure hæreditario hæ prouinciæ pertinent; ſed an id ſit futurum damnoſum Imperio, eſt alia quæſtio. Nam ſi harum regionum imperium in fratrem Regis Galliæ transferetur, vt obtineat eas iiſdem conditionibus quibus ante hos tumultus ab Hiſpanis poſſidebantur, hoc eſt, vt eas tanquam feuda Imperii obtineat, non erit forte vtile Germaniæ augeri Gallorum opes, qui ſunt ingenio inquieto, & forte eſſet vtilius deligi a Statibus Principem ex familia minus potente quam ſit Gallia, verum nullus alius occurrit præter hunc, a quo Status auxilii aliquid ſperare poſſint. Poſſum adjicere, Gallorum vires eſſe ita attritas diuturnis iſtis bellis ciuilibus, vt iam ſint exiguæ: imo quandocunque hæ prouinciæ habuerunt Principes ex familia Gallica, ii ſemper fuerunt infenſiſſimi hoſtes Regum Galliæ ſuorum agnatorum. Dicam liberius quod ſentio. Plus periculi, meo iudicio, libertati Germaniæ imminet a familia Auſtriaca quam a Gallica, cum ſit longe potentior, & habeat ſuas factiones & neceſſitudines plurimas in ipſa Germania. Si Rex Hiſpaniæ occupauerit Luſitaniam, quam tantis viribus aggreſſus eſt, vt videatur fore difficile Luſitanis
ſe

ſe aduerſus ipſum defendere, ad eius potentiam plurimum accedet quod ſi poſtea has regiones ſub imperium ſuum redegerit, erit in ipſius poteſtate vicinis prouinciis Germaniæ leges pro arbitrio dare, & quandocunque habuerint Imperatorem & fratres eius ſecum ſentientes, plurimum ab ipſis periculi Germaniæ libertati imminebit. Si quis dicat, Regem hunc Hiſpaniæ & reliquos Principes familiæ Auſtriacæ nequaquam eſſe ambitioſos, & propterea non eſſe quod Germani ſibi ab ipſis metuant: reſpondeo, prudentes viros non ſolum ſpectare præſentia, ſed ſuæ & ſuorum ſecuritati, quantum in ſe eſt, in futurum proſpicere, & dare operam, ne vicini ipſis aut ſuorum ſucceſſoribus nocere poſſint, etiamſi velint. nam qui iam ſunt amici poſſunt fieri inimici, & quietis ac pacis amantibus principibus ſæpenumero ſuccedunt feroces & ambitioſi; imo qui non videntur ambitioſi, interdum aliena iniuſte invadunt, quando ſe offert ipſis eius rei commoda occaſio: quod videmus iam Regem Hiſpaniæ facere in Luſitania, quæ ad ipſum iure pertinere non videtur. Bello Smalcaldico pene redacta fuit in ſeruitutem Germania a Carolo Imperatore, vel potius iam erat redacta, niſi feliciſſimæ memoriæ Dux Mauritius, Veſtræ Celſitudinis frater, Veſtra Celſitudo, & aliquot alii Principes, afflictiſſimæ patriæ, opem imploranti, ſubveniſ-

veniſſent. Quanto autem cum periculo expeditionem illam aduerſus Carolum Imperatorem ſuſceperitis, nemo ignorat cui nota fuerit eius potentia, peritia rei militaris, auctoritas, prudentia, & perpetua fere felicitas. Et ſane ſi conſilium illud vobis infeliciter ſucceſſiſſet, non ſolum de veſtris illuſtriſſimis familiis, ſed de totius Germaniæ libertate etiam actum fuiſſet. Sed Deus adfuit vobis pro iuſtitia, pietate, ſeu vera religione, & patriæ libertate certantibus; & eum ſucceſſum aduerſus potentiſſimum hoſtem pugnantibus vobis tunc dedit, vt merito vos ſuæ libertatis vindices & aſſertores Germania dicere poſſit, nec a multis annorum centuriis quiſquam in eam tantum beneficium contulit quantum vos tunc contuliſtis. Generoſum & magna laude dignum fuit tunc, ſe pro aſſerenda patriæ libertate in periculum conjicere; ſed conſultius eſt dare operam, ne ſæpius eiusmodi pericula ſubire cogamini, & propterea objicienda ſunt mature repagula ambitioni eorum Principum, a quibus vobis aliquid periculi creari poſſe proſpicitis. Rex Hiſpaniæ inuaſit Luſitaniam cum viginti armatorum millibus, & quædam oppida ibi corripuit. Claſſis eius ſoluit Gadibus XXV die ſuperioris menſis, vt referunt nautæ. qui inde aduenerunt ajunt eſſe potentiſſimam, & voluiſſe eius duces eam in aliquot partes diuidere, vt eodem tempore va-

varia Luſitaniæ loca inuaderent, quo poſſent ea ratione in maiorem terrorem Luſitanis incutere. Luſitani videntur conſtituiſſe tueri ſuam libertatem aduerſus Hiſpanos; ſed vereor, ne deſint ipſis vires, & ne non ſint diu concordes, cum non habeant caput. Præfecerunt ſuo equitatui Afrum Mahometanum, qui olim militauit Regi, quem Rex Sebaſtianus in regnum Feſſanum reſtituere cupit. Multum armorum, pulueris tormentarii, & aliarum rerum ad bellum neceſſariarum hinc vehitur in Luſitaniam. Præter claſſem, quam ſcripſi ſoluiſſe ſuperiore menſe Gadibus, Rex Hiſpaniæ aliam inſtruit in Cantabris, quæ dicitur futura ſexaginta nauium. Ab ea ſibi metuit Regina Angliæ, & propterea mittit in Hiberniam maiores copias, quam miſerat Rex, ex quo cœptum eſt ibi tumultuari. Agitur adhuc de coniugio inter fratrem Regis Galliæ & Angliæ, & crebro mittuntur vtrinque legati, qui aſſeuerant eam rem habituram ſucceſſum; ſed pauci reperiuntur qui ipſis credant. In his regionibus bellum ſegniter adminiſtratur. Heri ſub auroram aliquot equites inimici excurrerunt vſque ad portas huius vrbis, & ex eo genere molarum, quæ vento aguntur, tres exuſſerunt. Aiunt malecontentos ſuperioribus diebus accepiſſe duorum menſium ſtipendium Non procul abſunt a Cameraco, quo frater Regis Galliæ dicitur recens miſiſſe no-

ua

ua militum ſubſidia. Quid in Friſia agatur, Veſtra Celſitudo poteſt aliunde citius intelligere. Hodie quidam mihi dixerunt, Comitem Schvvarzburgium, qui antea inſeruiit Imp[illegible]tori, conductum eſſe a Rege Hiſpaniæ, & p[illegible]turum copiis, quæ mittuntur ſubſidio iis qui [illegible]ſi militant in Friſia. Credo eo mittendos Germanos veteranos, qui ſunt in ducatu Lucelburgenſi, quibus mater Principis Parmenſis obtulit trium menſium ſtipendium; ſed ipſi flagitant octo menſium, & tumultuantur. Ego Veſtræ Celſitudini & toti illuſtriſſimæ veſtræ familiæ omnia fauſta & felicia precor.

Antuerpiæ, vltima die menſis Julii
MDLXXX.

VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google